



BIBLIOTHECA
UNIV. TACILLI
CRACOVENSIS

53881

a-e

kat. komp.

Mag. St. Dr.


1



53881

I a-e








53881

I

P



53881


I

VIII. l. 2.

N.
Samuel Carolus Rostocki.



Domus Prob: Soc: SLDU Cracoviensis.





Conclusiones ex
Vniuersa Philosophia sub auspicijs
Illustrissimi Domini D. MAXIMILI
ANI FREDRO Castellani Leopoldien

a Martino Nyszin:
skj publice propositae Anno
1888. die
Gravib:



53881

1/10

K 4 7 1 7 7

IL
D

C

pro
ipla
Fam
titul
gata
de T
Servi
Com
loqu
Te,
Erip
mer
cut
fupe
roica
ipfer
teris
folun
fed e
tem:
etiam
ratus
copia
cum
vit.

ILLVSTRISIME DOMINE
Domine & Patrone Colendissime.

Copia me facit inopem, ubi in Tuum con-
spectum prodeco. Velim Tua decora profe-
qui, undiq; ornamenta Majorum occur-
runt, & utraq; mihi, ex umbra palæstrica
prodeunti, perstringunt oculos. Elogium sunt
ipsa nomina: eadem virtutum, Honorum, quæ
Familix, vocabula, ita se nexuerunt, ut & mutuo
titulos implicuerint. Spectem Marte gesta? to-
gata? curæ ad se rapiunt; & quàm illa, trophæa
de Turcis, Moschis, Scythis, Walachis, Svecis,
Servis Rebellibus; tam has Curia, Fora, Tempia,
Comitia, Tribunalia, domestica externaq; Palatia
loquuntur. Sed dum in utraq; intendo, ita in illis
Te, ut in Te Tuos Majores collectos intueor.
Eripuisti Te laudandi modum, cum Oratores sis
meritus, omnem facundiam Tuâ eloquentiâ si-
cut Luna minores flammæ, extinxisti, & gloriæ
supergressus humanæ metas; cum & è domo He-
roica prodieris Majorum gestis Illustrissimus, &
ipse meritis Europam illustraris; orbem etiam li-
teris implevisti: ut Sarmatia per Te Tuosq; non
solum armis asserta, consilio sustentata, vitam:
sed etiam literis animata; haberet immortalita-
tem: ut qui Tuis armis formidabilem sentiant,
etiam Tuo calamo eruditam suspiciant. Admi-
ratus in te externus Orbis eloquentiam, stupuit
copiam, multiplicem reconditamq; Sapientiam,
cum æquare non posset; invidit, suamq; opta-
vit. Quæ divisa beatos efficiunt, collecta te-
nes

nes. nec robori derogat Sapiētia, nec sapientiā.
robur est inimicum, nec Pietas submissione Chri-
stianâ sociata quidquam obest Magnanimitatis,
neq; Maguanimitas Comitati. Animam Te no-
stri sæculi jure dixerim; ita hos consiliis erigis,
illos exemplis instauras; alios ad magna præ-
eundo provehis, & facile esse doces gerendo,
cujus vel cogitatio mentes minores debellat. Ha-
bent quo coronentur præcedentia; habent quod
inspiciant, subsequētia sæcula. Hunc mea Te
adorat Philosophia, Tuas manus ambit, quas
ubi attigerit, lauream inveniet: quas ubi deo-
sculata fuerit, se fore eruditam, perivadet. Sub
Tuum reverenter appetit venire obtutum, in-
gentem acceptura dignitatem, si non despexeris.
Sed prius mecum ad Tuos pedes, velut ad reclin-
atorium Sapientiæ venerabundam se provolvit.
Sine illam mecum illic respirare; & interclutum
veneratione spiritum reparare. quo dein, Tuis
obsequiis vegetior, & gloriæ vivacior assurgat.

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ

Humillimus Cliens

MARTINUS NUSCZYNSKI.

SE.

SELECTÆ CONCLUSIONES

Philosophicæ ex libris de Anima
DE ANIMA IN COMMUNI

1. Anima est actus corporis Organi- ci Physici potentiâ vitam habentis.

Mltra apud Veteres de Anima dissensio. Pythagoræ
visa est Harmonia. Thaleti mortis substantia. Bi-
anti Intelligentia incarcerata. Hipparcho ignis.
Anaximæni æt. Criticæ sanguis. Hippocrati vigor.
Galeno complexio. Avempace virtus imaginativa. Heraclitô
Pontico lux. Aliis aliud qui plures de anima sensus, quàm ani-
mas habuerunt. Galeno subscribunt moderni Athei, sed miro,
discursu: volunt temperiem calidi cum frigido judicare, disce-
ptare, velle, cognoscere: & capiunt tanta miracula; animam spi-
ritualem, quæ hæc operetur, non capiunt. Jam videant quò se
præcipitent. Gal. Methodi 7. docet, quòd in porco simile est
temperamentum illorum temperiei. Ergo & anima omnino
aris rationis.

2. Vivere est habere ita perfectio- nem ab intrinseco, ut ab extrinseco saltem naturaliter ea haberi non possit.

Vita alia est Physica, alia inreptionalis. Vtraq; in hoc con-
ceptu convenit, quòd sit perfectio ab intrinseco: & qui-
dem, per identitatem perfectionem hanc habet DEVS,
per aliquid realiter distinctum Creaturæ. Malè tamen Campa-
nella, Cardanus, & multi Chymici vitam lapidibus attribuunt,

heet in illis heterogeneitas ac t̄r̄aedam Analogica organizatio
 partium ac figura certa reperiat̄. Omnes enim crystalli sexan-
 gular̄, omnes berylli teretes instar cylindrorum, androdamantes
 cubici, ut narrat Agric. l. 1. c. 13. fossilium. In Cubæ Insulâ
 quibusdam vallibus omnes perfectè spherici lapides. Famosus est
 Pyrrhi Achates Novem Musis cum Apolline à natura depictus.
 Similes erant Rudolpho II. Jaspides. In omnibus ejusdem spe-
 ciei lapidibus idem color, & alia, quæ casui attribui non possunt
 cum in omnibus speciei individujs reperiantur. Neq; efflorescen-
 tiæ metallicæ vivunt, quæ in quibusdam Hungariæ locis etiam ad
 10 digitos supra terram attolluntur. Nisi velis vitam dare etiam
 illi arbusculæ aureæ, quam Paracel. lib. 2. de generat. rerum,
 Nat. docet ex auto fieri, dummodò illud calcinetur prius per
 aquam regis ut fiat calx cretacea quæ imponatur in cucurbitam,
 & addatur aqua Regis & aqua gradationis ita, ut quatuor digitos
 transversos supereminet: & iterum abstrahatur in tertio gradu
 ignis, donec nihil amplius ascendat; & hoc repetatur, donec au-
 rum conscenderit in forma arboris: quam vocant herbam Philo-
 sophicam. Simile quid præstabit albumen ovi colore aliquo inte-
 ctum aquæ injectum, & agitatum. Sed quis ista actiones vitæ
 exercere dicet? Certè juxta Geometrarum mensuras Alpes nec ad
 unum cubitum à tempore Annibalis accreverunt. Sed adhuc in-
 eptius licet viginti annorum labore Rudolphi II. Mathematicus
 terram asslerit animal & quidem rationale quod ubi conspiciet
 certos astrorum situs, se conturba, tempestates ciet, ventos è pul-
 monibus suis expirat & alia Meteora eructat; nos inter Sylvas
 ac gramina ut inter pilos animalis esse bestiolas. Habet in hoc
 ducem aut socium Campanellam, sed hic etiam calorem & fri-
 gus vivere adstruit l. 3. c. 5. de sensu. Flandè simili deliramento
 Manichæorum qui teste S. Aug. Tr. in 1. Joan lapidem, patientem,
 vestem, lanam, restem vivere censebant. Quia urex ingenio suo
 fingebant, & intersungebant Joan: 1. *Quod factum est in ipso:
 Vita. Quod legi sine fraude hoc modo debuit. Quod factum
 est, in ipso vita erat.*

3: Semina Viventium carent vitâ.

Contra Galenum & hîc procedimus, vel saltē contra ejus
 asseclas. Sed cum Philosopho lib. 2. de gen. anim. c. 3.
 ubi ait *Animam vegetativam in seminibus haberi potentiâ sta-
 tuendam*

suendum est. non actu. Argenterius verò Comment. 2. in atrem Gal. sic ait *est semen hominis homo, quia formam hominis habet.* Eodem Valesius & Senertus recidunt. Iund Scaliger aliqui totus Aristotelicus semen canis tantum mutilum vocat canem Sed si ita esset, duas animas in foetu asserere deberent, in quo sunt bina semina, & sine Matre esse Filium ex solo Patre. Fallor nisi viderunt semen cucumeris aut aliud alimentum attrahere, aut sensationes exercere: Melius Magnus Hieronymus q. 4. ad Algas: *Semina paulatim formantur in uteris, Et iam diu non reputatur homo donec elementa confecta suas imagines membraq; suscipiant.* Hinc etiam Ecclesia in Ritualibus solos eos infantes aut abortus baptisari præcipit, qui habent effigiem humanam.

4. Tres tantum sunt species animarum, Vegetativa, Sensitiva, Rationalis.

Vel enim vivens per introsusceptionem convertit aliud in corpus suum; & hoc est esse vegetativam, quæ continet sub se omnes species plantarum: vel sensationes & appetitiones dependenter à materia elicit, & sic est sensitiva complectens sub se omnium brutorum species. Vel deniq; distat de objecto, & circa illud appetitum exercet independenter à materia & hoc facit Rationalis: & hæc divisio est univoca. Zoophyta ad sensitivam reducuntur, tales sunt spongiæ, quæ si advertant se avellendas à saxo, cui adhærent, se contrahunt, ac multò difficilius finunt se avelli, & cruorem emittunt, quem si homo olfaciat, ait Nierem. in hist: nat. suffocatur. Talis planta Tartarica dicta Batanica forma agni, quæ ex umbilico radici adhærens circum se herbas alias depascitur. Licet etiam huc refert molam muliebrem, cui aliquem sensum tribuit: talia ostrea & urticæ marinæ, quæ si pungantur, sentire se ostendunt dolorem. Huc etiam arbor Indica dicta Pudica, quæ teste Scal. exer: 105. n. 28 accedente homine folia contrahit, recedente pandit, quia fortè afflatum hominis percipit. Alterius arboris in Insula Cymbulum, idem narrat exer: 112. frondes refectæ ambulant. Narrante S. Aug. l. 3. Conf. c. 10. Arborea vivere omnes pervalerant sibi Manichæi, ac plorare lacrymis lacteis ficus cum eis fructus avelleretur.

5. Animæ Plantarum & insectorum,
imo & perfectorum animalium divi-
sibiles sunt, sed non Anima
hominis.

Vivunt etiam surculi & in aliam arborem inserti germinant. Flores etiam in urnis aquarum aperiuntur, crescunt, vegetantur, soli expositi: & in hoc insectorum animas plantis assimilat Arist. l. de Juvent: c. 2. Quod autem seorsum diu vivere non possint, rationem dat, quia non habent omnia organa requisita ad vitam. Quod ipsum S. Aug. l. de quant. animæ c. 31. probat ex eo, quia vidit quendam vermem multi pedem concisum in partes, per singulas partes currere, & unâ parte contactâ sensum illâ ostendere, non alijs, ex quo patuit, quod in singulis fuisset tactus, potentia loco motiva. Ratio est ulterior. Quidquid è materia educitur, est divisibile; pars enim illius è parte educitur, atq; ab ea dependet: Hoc autem modo animas brutorum educi communis est doctrina, quæ omnium brutorum animas æquè divisibiles demonstrat. Neque præcellentia eximit bruta perfecta multorum enim insectorum nobiliores videntur, quàm brutorum, Nam ut S. Aug. l. de quant. Animæ c. 24. *Concedet quilibet plus sapere apiculam quam asinum.* Neq; tamen ad hominum animas extendenda hæc divisibilitas, nihil illæ habent cum materia commune, nisi unionem. Imò quia est substantia spiritalis repugnat illi habere partes integrantes: Jam verò dato posse & has dividi: abscisso brachio homini, pars etiam animæ resicaretur, & si illa corrumpeteretur, anima per partes corrumpi posset, si verò maneret illa pars vivens, ubi haberet locum? In hominis certè scelerati brachio mereretur pœnas inferni: qui deinde homo conversus cum reliquis partibus animæ beatitudinem mereretur: ac proinde partim esset in felix partim beatus.

6. Motus in membris hominis ab-
scissis non procedit ab anima.

Arist. l. 3. de part. c. 10. propter multas experientias dixit: *Corpus hominis detrahit capite progredi irrationale non est.*
Narrat

Narrat Acofta l. 5. Hift. c. 14. in Mexico immolatum Dijs hominem cotde à facrificulo extracto Hispanos fpectatores querulè allocutum. *O Domini ipfi me inter fecerunt.* Antverpiæ, cum caput decollati è theatro decidiffet in terram, & mox canis ad ejus fanguinem lambendum accurriffet, ita dentibus ejus auriculam apprehendiffe, ut aliquamdiu ex ea pependerit. Spiritus id fecere, qui velut è Pyrobolo erumpentes pyrobolum agitant; fic dentes decollari tendonibus frigelcentibus constringebantur & cafu incidente in eos canis auriculâ, eam constringerunt, æquè quidlibet aliud constricturi. Juvenis Mexicanus jam jam moriturus verba conceperat & anima exiens impulfum lingvæ ad ea formandâ dederat. Nifi fortè ad Divinam Providentiam recurramus quæ eo prodigio voluit excitare Hispanos ad impietatem factorum nefandorum abolendam, uti & excitavit.

7. Anima eft unica in homine.

Plato, & Philoponus Græcus Aristotelis interpres homini ternas animas attribuit, binas Chymici, Occam & Mayronius. Paulus Venerus tot, quor sunt gradus Metaphyfici. Sed futius unam communis Philofophia tenet & S. Aug. lib. de duabus Anim. c. 13. in hunc modum probat. Idem debet eſſe, qui è duobus unum eligit. Ergo eadem eſt anima, quæ eligit ex voluptate ſenſibili, & ex virtute rationali alterutrum. Nam ſi ſenſitiva apprehenderet voluptatem, rationalis virtutem, eligere neutra poſſet. S. Anſelmus veidè l. de conceptu Virg. c. 7. hoc modo argumentatur. Si voluntas non influeret in membra injuſtè puniretur pro actionibus membrorum. Ergo. Nam nihil aliud pœna eſt, niſi quod eſt contra voluntatem.

8. Anima in toto corpore reſidet.

Platonici perſuaderant ſibi ſolius cordis palatium incolere animam, ex quo veluti è Regia in omnes partes mandata diſpenſaret: in peſtore Epicurus. Strabo in ſuperciliorum interſtitio; Galenus rationalem in cerebro, iracibilem in corde, concupiſcibilem in jecore collocat. Sed omnes aberrârunt. *In eſt enim,* inquit S. Aug. l. de Orig. Animæ. c. 5. *Anima vegetativa pedi hominis, quæ illum nutrit: in eſt ſenſitiva manui, quæ diſcernit calorem à frigore, in eſt rationalis capiti, quæ in eo diſcurrit.*

sed haec sunt una anima, itaq; ubiq; est eadē. Residet etiam in aliqua parte sanguinis Nam sanguis est duplex, alius purior, & hic non est alimentum, alius impurior, qui est alimentum, uti distinguit Sylvester in Rosa aurea. Impurior ergo non vivit, proinde neq; pars viventis, de quo S. Th. 1. p. q. ult. a. 1. ad 3. *Humidum nutrimentale* & quod nondum pervenit ad suscipiendam perfectē naturam speciei, sed est in via ad hoc, sicut sanguis & alia ejusmodi. Proinde immeritō Cajet. 3. p. q. 5. art. 2. omnem sanguinem vivere contendit. Non enim (uti docet Philolophus lib. 2. de part. c. 3.) *Sanguis continuus aut concretus est carni, sed in corde ac venis quasi in vasis continetur.* Hic ergo sanguis transit in substantiam viventis tunc, quando vel puritatem alterius sanguinis assequitur, vel in carnem convertitur. Sanguis purus verē est pars animalis & animā eādē informatur: prohibentur enim Iudaei Levit. 17. comedere sanguinem, quia anima est in eo: quod ad literam vult accipi S. Aug. q. 37. in Levit: & licet etiam in carne sit anima, specialiter tamen dicitur esse in sanguine, quia magis sanguis servit pro spiritibus vitalibus quā caro. Neq; Christus D. post resurrectionē indiget cibo, tamen sanguine venas replevit: neq; Concilium Ephesinum commodē explicari potest epist. ad Nestorium, nisi sanguis vivere concedatur, ac pars esse verē Hominis. Verbum enim, ait, esse hominem factum assumptione carnis & sanguinis. Residet anima & in capillis. Neq; enim illi sunt partes excrementitiæ. Nihil enim ejus generis Natura simul formā cum infante in Vtero: nihil subijcit Maternæ imaginationi, nullos præscribit extensioni, & latitudini terminos, nullis coercet legibus: viliora hæc sunt, quā ut illis curas tantas impendat natura: at verō pilis ea omnia imperitur. Propter imaginationem oves Jacobi discolorates factæ: alij cani statim geniti uti Thirenus Tarco, Cygnus Trojanus, Tarquinus Priscus, alios numerat scalig; exerc. 114 num: 2, Schenk; lib. 1. observ. 14. & alij, & nostræ Magister Philosophiæ l. 3. Hist. c. 11. *Fieri potest: ut homo pilis postgenitus Careat vitio jam inde ab ortu contracto* Habent etiam suos morbos capilli quod non nisi animatis evenire potuit. Evenit Rhopalosis, Fissura Rigiditas, Defluvium, Atrophia, Hirsuties, Amputatio, Indecens crassities, Plica. pulcherrimè Magnus Aug. c. 8. contra Priscill. *In nobis sine sensu nostro sunt incrementa & capilli nec cum prædicuntur sentiunt & ramos crescunt.* Et lib. 3. Hist. c. 11. docet Philolophus Capillos vivere vitā vegetativā, sunt enim rationis

cum

cum frondibus, squamis, plumis, uti idem refert 4 Meteor. c. 9. Versus Empedoclis & laudat. Sunt eadem, frondelq; pili, densaq; volucrum pennæ, tum squama, quæis fortia membra teguntur.

9. Animarum divisibilium partes sunt homogenæ.

ITa, ut, si placuisset DEO in bove animam invertere, posset in capite eam partem ponere, quæ est in pedibus, & pluriùm catellorum animas conjugere in unam molossi. Probat S. Thomas l. 2. contra Gentes c. 64. Si sunt diversæ partes animæ, Ergo singulæ partes singulas habent animas. Nam licet dicat hæc pars animæ ab hac parte materiæ dependentiam, hoc non inducit diversitatem specificam. Sicut nec visio mea, quæ respicit Petrum, ut non possit Paulum, differt specie à visione mea quæ respicit Paulum, ut non possit Petrum. Similiter nec unio Petri ab unione Pauli differunt specificè, licet una essentialiter hæc respiciat extrema, altera verò alia. Idcirco specie logicâ distingvi concedentur non Phycâ, seu plùs quàm numero minùs quàm specie.

10. Animarum Potentiæ realiter ab illa distinguuntur.

NEq; enim videmus substantias sine accidentibus operari, sic DEVS, inquit Angelicus Doctor, impertitur igni calorem, aquæ frigus. 1. 2. q; 110. a. 2. Enim verò vitiatum aliquando ita oculus, ut nullum appareat vitium tamen non serviat animæ. Quid illi deest? Ipsa anima? Nequaquam: organa? Sunt integra. Itaq; potentia distincta. Vnde Arist. probl. sect. 30. *Natura manum corpori dedit, animo mentem seu intellectum* prout ergo hæc aufertur ita & hic potest: & eum magnus Augustinus l. 2. c. 3. de lib. Arbitrio secutus: *Hic sensus interior, nec visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustus, nec tactus, dici potest sed nescio quid aliud, quod cum ratione comprehendimus, hoc ipsum tamen rationem vocare non possum, quoniam & bestijs inesse manifestum est.*

11. Nutritio est conversio alimenti in substantiam viventis.

TRibus peragitur coctionibus, primâ in ventriculo, alterâ in jecore, tertiâ in singulis membris. (in animalibus imperfectis & plantis sunt partes Analogæ, ventriculo, hepatis, in quibus etiam alimentum percoquitur) Primæ Coctionis instrumenta in ore sunt dentes triginta duo, quorum molares 10. canini 2. reliqui cibum præparant, qui sic præparatus ad ventriculum descendit, in Chylumq; in eo abit, & mittitur ad intestina, quæ tenuia sunt tria, duodenum, Jejunum, Ileon, Crassa ibidem tria Cæcum, Colon, rectum. Ibi natura separat utile ab inutiles; accommodat, ut per venas Mesaraicas ad hepar transire possit: & hæc est prima coctio. Chylus in venis dictis incipit in sanguinem converti, ibi lien recipit ad se, quod est feculentius & sibi alimentum impurum præparat. Sic jam præparatus chylus vadit ad hepar, & in perfectum mutatur sanguinem, & depuratus rursus in totum corpus per venam cavam distribuitur, parte ejus in cor derivatâ pro spirituum formatione: & hæc est secunda coctio. Vbi sanguis ingressus membra singulis pro natura eorum se dividit, quibusdam juxta pituitosas partes magis, alijs juxta biliosas, &c. & hæc est tertia coctio, in qua generatur humor quadruplex, Innominatus, Ros, Gluten, Cambium & duplex separatur inutile, aliud materia sudoris, aliud eorum, quæ cuti adhærent: hæc deniq; peractâ coctione alimentum transit in substantiam viventis

12. Etiam per transpirationem corpus multa ejicit.

Non minus, quàm ollam bullientem nostra corpora expire, certum est, ex eo Canes feram & suos Dominos diguoscunt, cum eorum vestigia rimantur. Hæc plura inveniuntur in iis, qui fuliginibus abundant, uti omnes viri, idcirco etiam quotiescunq; laverint manus, aquam reddunt impuram quod non evenit in non viris: Corpora autem quo spirabilia & laxiora, inquit Aristot. s. g. probl. salubriora sunt. Hæc perspirantia variè afficiunt varios, Inde evenit, quòd aliqui selem pati

non possint, quia perspiria illius sunt inimica eorum complexio-
ni, quocirca etiamsi eam bestiolam non conspexerint, in ox ubi
ab ea fuerint afflati, horrore corripiuntur & graviter alterantur.
Felis enim, ut docet Paræus lib. 10. c. 34. *pestiferam de se emitit
auram, quâ potissimum tenellorum spiritus inficiuntur:* & ostendit
multos infantes subito implicari ægitudinibus, multos inexpectato
eripi fato, quibus consuetudo familiaris est cum hoc animali.
Quantitatem expirij conatus definire sanctiorius Medicus, ap-
pendit hominem ante cœnam, certarum librarum illi cœnam
exhibuit, post somnum facta concoctione iterum appendit, &
invenit deesse de pondere. Vnde inferebat quantum expirationis
factum, scilicet librarum 4, sed ut res certa, ita fallaci ex-
perimento descripta, multum levitatis addunt spiritus illi, qui ci-
bis accedunt. Hinc levior prausus, quàm famelicus.

13. Non fuit Miraculum, quòd A- lexander M. Ivavem exhalàrit Odorem.

EXhalant enim nostra corpora. Hinc vitro applicata aut spe-
culo manus, nubem inducit; calor enim perpetuo in ho-
mine agit, & fugaces seu volatiles partes à fixis evolant. In
Alexandro itaq; ex temperie certa odor ille oriebatur, sicuti ex
temperie deteriori è quibusdam gravior procedit odor, & tempo-
re quidem pestis hæc corpuscula bene aut malè odora maligna
qualitate imbuta in corporibus affectis contagionem promovent,
dum per os, nates & poros apertos sana corpora subingrediuntur.
Hærent autem hæc corpuscula subinde in rebus, plicis vestium, pa-
rietibus, donec tandem per contraria eorum malignitas expel-
latur.

14. Sola Accidentia Neminem Nutriunt.

SI quis species Eucharisticas plurimas sumeret, sentiret se re-
fici, sed ex eo accideret, quia Christus D. non manet nisi
quamdiu species sunt incorruptæ, quibus desinentibus cessat
commorari, & materiam, ut species sunt in connaturali statu,
substi-

substituit: alioqui naturaliter adverteremus, quando Christus adest, quando ab hostia profectus, & cessaret fidei meritum. Odores non agglutinant se corpori defectu crassamenti, idèd nutrire nequeunt: sed recreant cerebrum, & sanitati conducunt, & in pulmones attracti ad cor permeant, in eoq; in arteriosos spiritus permutantur. Hinc Agellius l. 2. c. 4. Historiam Plinij de quibusdam populis, qui solo odore florum ac pomorum vivunt, ait, *plus habere admirationis quàm fidei.* Non desunt tamen particulae crassiores, quæ cum odore feruntur ac ventriculorum solantur: uti experiuntur Coci, qui minùs esuriunt, dum cibos fumantes odorantur. Ne etiam Tabacum omittamus, quæ pituitosos humores è cerebro elicit, illis ventriculi os obstruit, ne multum latrare possit.

15. Purum Elementum neminem nutrit.

Neminem enim vidimus igne, aère, terrâ, aut solâ aquâ traxisse vitam; ubi tamen aliqua mixtio accesserit nutrimento aqua idonea redditur. Nam Isai: 44. Plantata est pinus, quam pluvia nutrit. Imò etiam avulsæ ab arboribus partes & vasi repleto aquis infertæ hoc modo prorogant vitam & absorbent aquam, illâq; deficiente langvore morti prævio ac aliis morbis corripuntur, clarissimè id expressit S. Doctor in 4. d. 3. q. 1. a. 4. *Quamvis aqua in se non nutriat, tamen commixta nutrit: ut immerito Vales: l. b. c. 6. Controv. nomine Communi Medicorum aquam e nutrimentorum genere proscibat. Imo & contra Medicum asserimus aërem dum mixtioni interitur nutrire & Medicorum Principem in testimonium voco, ex aère attracto ex pulmonibus spiritus vitales in corde, animales in cerebro nascuntur, qui sunt pars viventis. Adhuc progredimur & ignem intra alimenta viventium etiam modica mixtione variatum asserimus. Pyrausta est majoris Muscæ magnitudine bestiola, de qua Aristot. l. 5. hist. c. 9. est quadrupes, nascitur in fornacibus cuprariis, in ipsis ignibus & tamdiu vivit quamdiu domo non egreditur, peregrinatio illi mors est. Negat quidem hujus narrationis veritatem Galenus sed Scaliger ait. *Ferulâ castigandos esse qui hoc quasi temere proditum ab Aristotele negant.* Credidit hoc Aristotele Seneca. l. 5. Nat. quæst. c. 6. *Ignis qui omnia consumit etiam**

etiam quaedam creat & quod simile videri non potest veri, tamen
verum est, animalia igne generantur. Credit & Magnus Aug.
lib. 12. Civit. c. 4. In ardore ignis nonnulla animalia per conve-
nientiam vivere salubriter. De Chameleonte, quod solo aëre
vivat, veteres crediderunt. Nostra ætas deprehendit muscas lin-
vâ glutinosâ in eas subito districtâ capessere. Multò minùs omni
cibo in longum carere quisquam potest. Hinc Medici septem di-
erum inedia letalem censent, & ultra diem undecimum vitam
non posse prorogari sine alimento; siquidem calor naturalis non
otiat ac humidum radicale absumit. Potest nihilominus hic
attemperari, ut modeste agat.

16. Non eo ipso, quòd aliquis nutriatur, debet mori.

Quia, quod per unum cibum deperdit, potest per alium si-
bi valde congruum reparare, & hanc virtutem putatur
habuisse lignum vitæ in paradiso: idcirco non videntur
omniò fabulosa, quæ narrantur de reparatione ætatis: sic narrat
Deltio de quodam senes centenario, qui Tarenti anno 1531 fa-
ctus est juvenis, pilis, dentibus, unguibus in nova mutatis, 30.
supervixit annis. Idem refertur de Abbatisa quadam in regno
Valentiæ. Idem Massæus de quodam Indo, qui intra 335. an-
nos, quibus vixit ter factus juvenis. & hanc artem jactabat se
scire Campanella & Paracellus. Sed uterq; ante senium de-
cessit.

17. Alimentum in arboribus & ani- malium pilis sursum à virtute At- tractiva promovetur.

Non omnes partes arboris ita duræ sunt, ut alimentum per-
meare nequeat insunt fibræ plurimæ & quasi venæ, per
quas succus propagatur cedente arbore, aut mollioribus
partibus arboris. Capilli animalis nondum geniti alio nutriuntur
alimento, quam dum animal exolutum est carcere uteri. In ute-
ro enim crassioribus partibus seminalis materiæ aluntur, sicut &
ex istis oriuntur. Postquam verò genitum est animal, sangui-

ne nutriuntur, siquidem eo deficiente in animali etiam capillos
exarescere constat ex Arist. 1. de color: cap. 6. hinc etiam qui
metasynerisi laborant sanguis illis ad cutem evocatur, ut bene pi-
li provemant juxta Fernel: lib. 8. observ. 3. sed etiam à Galeno illa
alopecia censetur insanabilis, in qua cutis per fricata non rubescit,
quia scilicet sanguis, qui est alimentum capillorum, deest. Et
eodem Magistro defluvium capillorum oritur corrupto sanguine.
Sed hoc melius complexus Philosophus 10. probl. 24. qui docet
eodem nutrimento sustentari vellera ovium quo caro. Vellera
autem 5. de gen. anim: cap. 5. nihil sunt aliud, quam congeries
pilorum. Ex quo etiam Melancholici, qui atrore abundant
sanguine, pilos nigriores, biliosi flavos, pituitosi ob copiam
ejus humoris albos educant. Causa efficiens principalis est speci-
alis Formatrix, quam Galen. lib. 11. de usu part. c. 14. vocat.
Purificam hæc vaivè per membra animalium distributa, & hæc à
phantasia Matris subinde turbatur: hæc efficit, quòd homo non
habeat pedes pilolos uti lepus: quòd habeat palpebras, quibus
reliqua animalia carent, quòd hoc potius quàm altero loco pi-
los effundat. Causa efficiens instrumentaria est calor radicibus
pilorum inhærens, qui materiam digerit atq; excoquit, quo de-
ficiente in senibus hyems capillorum advenit. Canities autem
vaivè à vertice capilli incipit, quia in remotiores partes alimentum
Frigidius pervenit. An verò crebra tonsura capitis, oculorum a-
cumini proffit, controversia Medicorum dubium facit. Nam
Rhafes & Avicenna affirmant: Lemnius negat, cùm tamen po-
ros conferent, & materiam inutilem exugant, non parum pro-
sunt: hoc verò non contingit nisi delectis. Habent enim capilli
suam proceritatem, quam non excedunt, atq; tunc ut alimentum
aliquid ita longè minus quam defalcati educunt, ubi & acumen,
& crassitum augent, & incrementum instaurant. Quocirca be-
nè svadet Celsus lib. 2. in diuturno pituitæ affluxu ad cutim ton-
deri. Inde Hygieæ, Esculapij Filia, Sycionia mulieres comas
suas detontas dedicabant, quo, ut sensum Antiquitatis refert
Pausan: ab Hygiea Dea sanitatis per tonsuram promittebant sibi
sanitatem. Neq; summus Naturæ speculator Aristoteles (ut de
eo scribit Laërt) aliter tutabatur sanitatem, quam quòd semper
attonso vertice incederet. Finalis causa capillorum est defensio
cerebri, rarò tamen tanta, qualem Riolanus narrat cuidam
Turcarum Janizaro præstitam, qui densitate capillitij globos selo-
porum eludebat: Sed tamen non nullam, hinc calvi magis
obnoxij

obno-
jiciu-
c. 1.
Hitt-
plicæ
riant
eum
tenu-
ante
verò
alij
peut
lis,
hinc
corp-

18.

A

tum
Alliv-
Rex,
vene-
dam
occid-
volup-
hujus-
tam
iplum
pora
unum
nena-
rea o-
svestit-
tame-

obnoxij præ alijs catharro. Nascuntur & intra animal pili & e-
jiciuntur vomitu & aliâ viâ, uti scribit Galen. lib. 6. de locis affect.
c. 3. Nascuntur & in lingua & evulsi recrescunt. Donatus lib. 1.
Hist. Med. mir. p. 35. Prodeunt & ex corde. Sed in illis qui
plicâ frequenti in Polonia morbo laborant etiam in venis repe-
riuntur Teste Herc: Sax: lib. 10. p. 817. quos tamen creditbilis
eum Hippoc. 4. aphoris. 16. non esse verè pilos sed carunculas
tenuitate pilos assecutas. Plica Polonica si incidatur, nocet:
antequam erumpat, discutiat. Causa est. Plicæ morbus est
venenata sanguinis infectio instar morbi Neapolitani, Aulicû alijs,
alijs aliter. Hæc fumis cerebrum opplet ac subinde perturbat, ap-
petitûsq; movet varios: si erumpat per poros capitis hæret in pi-
lis, ac instar scorpij contriti, aut viperæ venenum ad se trahit,
hinc ægro levamen: remoto verò hoc extractivo venenum in
corpore relinquitur, ac crudelia concitat symptomata.

18. Ad Venenum potest quis assve- neri, ut illud sine damno sumat.

Alimentum alteratur & non alterat notabiliter. Medica-
mentum alterat & non alteratur. Venenum alterat & non
alteratur. Hinc multis medicamentis uti non est consul-
tum: Alteratur enim & ægrè ad suum statum redit temperies.
Assvescit se ad venena, periculoso certè conatu, Mithridates
Rex, qui aliquid quotidie ex eo delibavit, ut postea, cum vellet
veneno se tollere, non posset. Narratur etiam de Puella quâ-
dam, quæ usu veneni ita profecit, ut solus ejus halitus adstantes
occideret. Ait se vidisse Colonizæ fœminam Alb. M: quæ magnâ
voluptate araneos capiebat & devorabat sine nocimento. Ratio
hujus à Chymicis datur non inepta. Quia nullum venenum est
tam potens, quod non possit esse præstans medicina contra
ipsum etiam venenum. Nam omne venenum sicuti & alia cor-
pora, potest resolvi in sulfur, sal, Mercurium, ex quibus solum
unum venenum est, reliqua verò antidorum veneni: Ergo si ve-
nenata pars separaretur, posset homo nutiri veneno. Præte-
rea dicunt naturam esse determinabilem ad contraria. Nam as-
vescit homo cibus, quos antea nec olfacere poterat. Nemini
tamen hujus speculationis systerim experientiam.

19. Esus Carnium è simili Anima- li est plurimum noxius.

EXpertus id doctissimus Galliarum Regis Medicus Andre Laurentius c. 2. de lue ven, qui plura animalia ejusdem speciei carnibus nutrit, canes caninâ, sues suillâ, &c. quibus paulo post pili defluere cœperunt, ulcera obotiri, tumores, ac ejusmodi mala: occasionem experiendi fecerat narratio cujusdam senis qui affirmavit ob esum carniū humanarum lūm, quam Galli Hispanico, Hispani Gallico nominant titulo subintrâsse sub Carolo Rege Galliarum anno 1495. ad Neapolim dum non sufficeret Gallico exercitui annona, caupones verò, è cœsorum cadaveribus excisas dividēbant passim carnes. Hinc morbus hic vulgaris, in Indijs, quia & esus carniū ejusmodi est vulgaris. An verò unica morbi illius ista origo fuerit, dubium est, Mediolani fuit sc̄mina, quæ pueros furto sublatos tale condiebat, & sic illis vescebatur. Refert etiam Hæctor Boët: Hist. Scot: l. 18. Quendam latronem cum suis solitum vesci carniū à se occisorum idcirco captum & cum tota familia exustum, sola infans relicta vix annum nata: sed ea ubi 12. annum attingit, lapsa in simile scelus, & cum duceretur ad supplicium exprobrantibus facinoris immanitatem respondebat. *Nescitis quàm delectet humana caro, si gustaretis, nemo esset, qui à liberorum esu absterneret:* nec defunt historiæ, in quibus narrantur ad has execrabiles dapes adacti. Narrat Cronerus l. ix, ad ann. 1315 & Prussix Hist. Ann. 1629. & Strada in Belgio: neq; tamen eum secutum morbum referunt. Ided fuit necesse aliquid aliud advenisse. Medici adhibent in Mumiis hanc carnem. Sed quid sit Mumia, variant. Paracellus sanguinem vocat, Mumiam liquidam: Carnem furis pendentis Mumiam constellatam. Bellonius succum lib. 3. obl. c. 32. è cadaveribus Arabum Myrrhâ, Croco, Aloë, Balsamo perunctis exsudentem instar mellis odoratum nec insuavem sed loco succi Arabes non rarè saniem è pestiferis alumine conspersis cadaveribus venditabant. Et loco Mumiarum *deferruntur* inquit idem *cadavera viatorum, quos arena in Arabia & Aramoniæ regno involuit, sol arefecit.* Paræus Nominis Magni Medicus lib. 10 Chirurg. c. 7. ridet mumix usum. Nam si cadavera sunt Principum meliorem condituram habentium, quis permittet eveli? Si plebeia solo sunt Asphalto inuncta.

Vnde

Vnde Matthiolus ait, Cadavera furum sale & aromatibus condita in furno siccata pro mumijs venditari & usum damnat ut barbarum & Thevetus dicit se expertum ejus usu oriri symptomata, Cardialgiam, Ventriculi tumultum, vomitum, oris foetorem: Damnat & Libavius p. 849 & asserit, ad nos falsas tantummodò deveci mumias neq; concedit aded Balsamum à putredine præservare, ut vulgò jactatur. Græcia Ducis Veneti uxor scatebat balsamo & foetorem ejus nemo pati poterat. Antiocho & Herodi certè non deerat balsamum & tamen vivi cõputruerunt: Nam & ipsum balsamum corruptibile est. Alij quomodo per artem ex Juvene raso mumias forment refert Tenzelius Medicin: Draftat: c. 6. ex quibus omnibus patet carnis humanæ usum hominibus inimicum,

20. Carnes assæ utiliores Coctis.

Coctio sic definiti potest. *Est perfectio quadam à calore superfluum humidum absorbente.* Hæc definitio convenit coctioni fructuum à sole, qui calore suo naturalem adjuvat veluti calens emplastrum, ventriculum. Convenit coctioni ab igne. Convenit & coctioni Medicæ vulnerum: quæ fit cum humores ita maturantur & ad hoc perducuntur, ut amplius non putrescât. Ex his patet quòd non cocta sint frigida, cruditatem enim definit Arist: 4 Meteor: *Est inquit imperfectio qualitatum incompatibilium ob indigentiam propriæ caloris.* Coctio ab igne, propriè dicitur *elixatio*, quæ hoc modo fit: calor igneus in humido aquæ recipitur & rem illam humectat quæ elixatur, poros ejus aperit, & humorem extra evocat, reliquum autem quod relinquit humoris digerit. Idcirco elixari non possunt, quæ nihil habent humoris, ut cineres. Vel quæ habent humiditatem ita cum succo terreo unitam, ut separari non possit, ut ligna, metalla. Ex hoc etiam fit. ut carnes bubulæ difficilius elixentur, quàm agninae v. g. quia humidum difficilius separatur. *Assatio* verò est coctio à sicco & alieno calore, ut humor, qui est intus, absorbatur poris externis clausis, ideoq; assa humidiora intus. quàm elixa. Inde fit, ut homo ad magnum ignem non sudet, quia est quasi in assatione, sudet in balneo, quia est quasi in elixatione. Hinc Arist: 4 Meteor: c. 3. ait carnes assas utiliores elixis & probat. Quia cum sint humidiores elixis, plus ad nutriendum succi afferunt. Ided verò juscula coctarum carniùm refrigerata crescunt,

erescunt, quia ex carnibus extractum continent gluten, rosem,
cambium. Notat tamen Celsus lib. 1. c. 6. Elixam lubricare, assa
constringere, nec stipticis convenire. Cæterum magnum bene-
ficium præstant animalibus Laniones, dum ea in cibum homi-
nium macerant, quia dum ab electis comeduntur, in cælum par-
tes eorum deferuntur. Vnde Taulerus Serm. 1. in Vigil: Paschas
dixit. *Non possunt creatura nobiliori modo in suam originem redire,
quàm in corpore sancto cui in cibum uniantur.*

21. Fames est appetitus cibi. Po- tus non nutrit.

FAMES in hunc modum excitatur. Quodlibet membrum
sicut radix arboris ad se trahit alimentum quod ubi deficit,
vicino membro eripit, & hoc alteri donec ad sedem ciborum
ventriculum deveniatur, sic tandem imprimatur officio
ventriculi impulsus quidam, hanc molestiam averfatur ap-
petitus, & illâ cognitâ per phantasiam ut remedium appetit cibum
Hic appetitus excitat virtutem motricem, ut quærat alimentum,
& quia sicca faciliùs implet ventriculum, ne divellatur, quam
liquida: idcirco magis illa appetit. Vnde Gal. famem & sitim
inter dolores recenset. Potus verò tardus est, qui simul non sit ci-
bus, cibi enim vices ex parte supplet lac, cerevisia &c. Potus au-
tem hæc facit. 1. Provehit cibum tenuitate suâ per meatuum
& venarum angustias. 2. Juvat concoctionem potissimum eam,
quæ in ventriculo fit, nam hæc se habet per modum elixationis.
3. Cibum permeat ut succus faciliùs ex illo eliciatur. 4. Siccita-
tem membrorum & fervorem sanguinis temperat, per quod
juvatur nutritio; & impeditur, ne humidum à calore consumatur;
qui succus ubi deficit membra eum ab alijs attrahunt simili modo
atq; in fame. succus autem deficit ex nimio excitato calore vel
sudore. Aves rapaces licet sint calidissimæ potu non egent: sed
illum compentat multi aëris attractio, tales enim sunt pulmonibus
prægrandibus, multumq; simul adducunt ad interiora aërem.
Delectatio fit à potu in summo ælophagi officio ubi sunt partes
molliores, quæ à potu titillantur. Hinc pueri integra pruna
devorant, quia majores boli magis titillant. Noxia tamen ve-
lox comestio, quia multum secum aërem rapit, & eo ventricu-
lum implet.

N C
fili
ni
latet in
& in be
sed divi
plexio,
cujus.
lem pro
variat in
alijs cor
gelidam
num act
vim mul
cos vulg
pinis mix
trahunt.
bus vide
tuum ja
men extri
ri capill
& phlegm
putrescit
tò albescu
sunt inter
albus à fri
significat
denotant
acumenq;
liquorem
abundanti
2. de temp
frigidiores
capillo, fa
plano, facil
indolem c

22. Color pilorum, Temperiem indicat animalis.

Non est ridenda Physiognomia, si intra eos terminos consistat, quos P. Nicquet ex Aristotele præscripsit. Natura enim, inquit doctissimus quidam è Recentioribus, non ita latet in oculo, ut non aliquibus signis prodeat in manifestum, & in bene formato corpore animus sua melius obire solet munia: sed divinatio de moribus à multis pender. Noscenda est complexio, noscendi mores natorum, scienda conditio & status alicujus. Fortes enim fortibus, boni bonis creantur, neq; imbellem progenerant aquilæ columbam. Locorum etiam varietas variat inclinationem. Alius est genius eorum, qui montana, alius eorum, qui plana & qui palustria incolunt loca, alius qui gelidam Arcton & qui tepidum Austrum. Liber tamen hominum actus nulli subjacet legi. Vnum etiam signum sæpe tallit, vim multitudo conciliat. Niger color capillorum, Melancholicos vulgò indicat. Cum enim capilli nascantur è vaporibus capitis mixtis sanguini pingui ac glutinoso colorem etiam ex ijs contrahunt. Oritur autem nigredo ex adustione quam in Æthyopijs videmus: licet ipsi non sunt calidi propter continuam spirituum jacturam, quam solutis à calore poris faciunt. Partes tamen extremæ calent ab æstu externo. Compertum autem est mutari capillum cum regio mutatur. Pilus albus signum frigiditatis & phlegmatis, quæ ab interno calore non concoquitur, sed quasi putrescit & ideo capilli in senio canescunt: quamobrem qui citò albescunt, piritâ abundant. Flavus & rufus color medij sunt inter nigrum & album, quia niger oritur à caloris adustione, albus à frigore, hinc quò magis rufus capillus est, eò plus de bile significat inesse. Mediocriter verò rufi bonum temperamentum denotant animùmq; ad fortitudinem, audaciam, subtilitatem, acumenq; ingenij natum. Crispi fiunt vel propter pororum obliquitatem, quos calor debilior in cute durior efficit, vel ex abundantia caloris & siccitatis: propter quæ capilli teste Gal. lib. 2. de temp. torquentur ut corrigia in igne. hinc formicæ, cum sint frigidiores & humidiores, planos capillos habent. Qui crispo capillo, faciliùs canescunt, difficiliùs canescunt: è contra qui plano, faciliùs canescunt quàm calvescunt. habet autè capilli cum planis adolem communem, nec in summo æstu crescunt, hinc in fe-

bribus defluunt; nec in summo humore aut siccitate, hinc senibus decedunt aut rarefcunt, alijs non prodeunt in metu furriguntur quia calore ad intima profugo pori constringuntur. Didacus Oforius Nobilis Hisp. sub Ferdinando Catholico auditâ mortis fententiâ quali in momento incanuit. Idem refert Scal. exer. 313. de quodam conjurationis fufpecto. In talibus calore ad intima concurrente materia capillorum refrigeratur plurimum & quali congelat ac in capillos veluti pruina prodit. In arceraris & Itinerantibus magis crefcunt capilli, quia magis fuliginibus abundant. Tempora citius canefcunt ob fubjectas cuti partes frigidiore, citius etiam canefcunt nati ex Parentibus vetulis aut lactati ab ejuſmodi.

23. Generatio eſt Origo viventis à vivente in ſimilitudinem Naturæ.

EX hoc patet 1. quòd Adam non genuerit Evam, qui nihil ibi contulit ex ſe à natura ordinatum ad ejus productionem. 2. Refurgentes à mortuis divitijs & creati à Deo, non ſunt proles Dei, quia illis nihil de ſua ſubſtantia communicavit. 3. Pullus, anas non eſt proles Gallinæ, quæ illum ex ovo anatis excluſit. 4. Plantæ non dicuntur habere filios, etſi verè generent, quia hic titulus ſolam ſenſitivis datur. 5. Confanguinei dicuntur, quorum unus alterius habet ſanguinem. 6. Magis parentes amant Filios, quàm Filij parentes, quia quiſq; amat ſeipſum, Parentes verò habent in Filijs aliquid ſui non e contra: inde eſt, quòd minus ament, licet magis ad amandum obligentur. Vnde S. Aug. 4. Confeſ. c. 2. dixit. *Etiã ubi proles contra votum naſcitur, nata tamen cogit ſe diligere*: & idèd ut notat. S. Th. 1. 2. q. 100. a. 5. Nullum datum præceptum Parentibus diligendi Filios, datum Filijs diligendi Parentes. 7. Ardentiùs Filij quamdiu ſunt parvuli amant Parentes, quia valde exiguum habent alienum; & per alimenta acquiſitum, ſed totum Parentum. 8. Quia à Parentibus accipiunt aliquid. Hinc & temperies & virtus Patrum ſæpe in eſt Filijs aut vicia. Hinc Spurios an: 1587. Sixtus V. irregularitatis damnavit. *Quia ſicut temperiem Parentum ita vicia & incontinentiam imitari ſolent*. Scal. exer: 265 dixit *Spuriij peſſimi fere ſunt, imò proverbium eſt apud Italos,*

Italos,
quia e:
contra
impreſſi
imperii
pere: n
16. N
atq; la
debet,
Quare
conju:
tuor e
bitur à
ceptum
lio, in
terrea,
proverb
ut Spar
Italos ſe:
poſſerit
improbi
lius lib
ne nat
euris m
opibus

22

P VII
erit
ad
in ſua P
de, ſi a
cabunt,
mando
colore re
hoc jeco
compara

Italos,

Italos, spurium qui nequam facit officium suum facere. Mali sunt quia ex malis. 9. In primo gradu rectæ lineæ Matrimonia esse contra leges naturæ, quia sterilia & ita eorum horror à natura impressus, ut cum Svetonio teste, Iocmina quædam filium nullis imperiis agnoscere vellet iussa à Magistratu eum in Matrum accipere: maluit filium fateri. De hac vi naturæ S. Aug. 15. Civit. c. 16. *Nescio quomodo humana verecundia inest quiddam naturale atq; laudabile.* Post quartum tamen gradum Inno: III. c. non debet, de consanguineis licita pronuntiavit ejusmodi conjugia. Quatuordecim inquam, numerum bene congruere prohibitioni conjugij corporalis, quia 4. sunt humores in corpore quod quatuor constat Elementis. Quia scilicet post quartum nihil invenitur à progenitoribus relictum. Nam in primo gradu quod acceptum fuit levissimum & quasi igneum evanescit, hoc est in Filio, in nepote æreum, in pronepote aqueum, in abnepote pars terrea, itaq; in gradu quinto nihil superest. 10. Græcum tamen proverbium. *Herorum filij noxa,* retinet sæpe veritatem. Nam ut Spartianus in sept: severo, *Illustres doctrinâ aut sapientiâ viros tales sæpe liberos habuisse, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate decessisse.* Accidit hoc partim ob Nutrices, quarum improbitatem cum lacte hauserint. Tantundem enim ait Agellius lib. 22. cap. refert quo lacte quis nutriatur atq; ex quo semine nascatur, partim quia in Parentibus, quicquid optimum fuit curis majoribus non filiis impensum: Partim, quia filij relictî in opibus & claritate non assueverunt dura pati & ardua agere.

24. Pullus ex ovi albumine prodit.

Pullus non ex toto ovo nascitur, nam reliqua ejus parte nutritur. Hippoc: quidem ex luteo nasci Arist. ex albumine adstruit. Videamus cui experientia, quam fecit Dan: fenerit in sua Physica faveat. Ovum sub gallina die quarto, imo subinde, si aperiatur, patebit in eo cor, & duæ à corde venulæ micabunt, Septimo die cor involutum & mucor luteus pro formando jecinote spectabitur, qui ab hoc die sensim concreset colore retento, quod luteum etiam in pullis exclusis visitur. In hoc jecoris rudimento per novem dies à formatione nullus sanguis comparer, cor tamen turget sanguine. Cor autem sedem habet

in media ovi longitudine, ubi luteum albumini desuper committitur. Quodsi quis die secunda ab incubatu aperuisset concretum quid instar nubis spectasset, & in ea pullum capite conspicuo ac juxta caput puncto se dilatante ac constringente, ex quo diebus sequentibus vena admodum rubra per totum pulli dorsum in longum porrigitur, ex qua alia venæ ad pelliculas luteum involventes ducuntur. Ex quo patet luteo ali, quod in sanguinem vertitur, qui per venas ad pelliculam circa luteum protentas advehitur, & in hepate conficitur.

25. Complexio animalis figuram format.

NAm cholera cum siccum & calidum faciat corpus, non potest reddere nisi longum quidem sed strictum atq; gracile, quia calor elevat, siccitas constringit. Phlegma est quid frigidum ac humidum, breve itaq; & latum facit, aqua enim diffundere se novit, non attollere. Sanguinea indoles calida & humida hæc mediocriter facit animal, quia ob humiditatem in alium se non aded attollit, ob calorem non nimis se in latum diffundit. Melancholia strictum & breve corpus constituit, frigus enim non faciet incrementum, siccitas obest latitudini.

De Anima sensitiva.

26. Bruta non sunt Prædita Animâ rationali.

Asserebat Pithagoras, Anaxagoras, Diogenes, & alij quibus credebantur animæ per Metempsychosim è corporibus hominum motæ, tanquam in ergastulo pro demeritis in brutorum corpora compingi. Imò Galen: exhortat ad art liber. stud. agnoscit in brutis rationem delitescentem. Quod fraude Dæmonum s. Chrysof: hom. 4. in act. Purat contigisse ut crederent animas nostras à brutorum non differe ac sensum persvaderent sibi mortales ac demum alterius vitæ sublatâ spe in hac beatitudinem fundarent; secuti Gnostici errorem imò & Indi modernæ, qui putant simias scire loqui, sed dissimulare, ne ab Hispanis ad labores compellantur. Strabo etiam cum Dione dat mentem

mentem Elephantis, & Lipsius in Plin. lib. 18. c. 1. *Se ratione carere, si Elephantis carent.* Plinius verd ipse eod loci his bestiis tribuit *intellectum patrij sermonis, & imperiorum, Obedientiam, officiorumq; que didicere memoriam, amoris & gloria voluptatem.* Plutarch: in Phædimo vulpem syllogizare. Juxta hos merito Gryllus socius Ulyssis a Ciuce in bestiam mutatus, postea redditus sibi querebatur bestias feliciores, quæ sine labore scirent ea quæ homines eum studijs. Ulterius progressi apud S. Christof. l. c. Quidam Philolophi, qui etiam donum Prophetiæ Corvo Corniciq; & claram DEI notitiam tribuebant. Sed non minus indecorè Steph. Palquier: epist: ad Adr: Turnebum. *Quis scit an quando colludo cum mea fele ego me cum ipsa potius, quam ipsa mecum se, recreet meq; utatur tanquam instrumento suæ voluptatis.* Imo Campanelia verbis scrip: Tob. 38. abutitur ad hoc evincendum & l. 2. c. 23. de sensu ait loqui inter se sed nos illorum linguam non percipere, uti nec, Italum Germanicam: ediscere tamen nostram illa ubi nobiscum versantur, etsi in aliam regionem deferantur novam non intelligere. Fatemur miras esse bestiarum operationes, sed nullas excedere limites phantasticos aut instinctus. Si enim quævis belluarum discursu & non instinctu ageretur, variarent utiq; in modo operandi: at nunc omnes hirundines è luto, omnes passerès è plumis. omnes philomelæ è musco arborum, omnes acanthides ex lana in ramo arboris omnes linariæ, ex lana sed in rubis nidificant, omnes galguli ut corbes è ramis appendunt, omnes picæ spinis sæpiunt, turdi & merulæ fundo oblimato muscum circumponunt &c. Imo convenio istos. Bruta habent animam rationalem perinde ac homo. Ergo & merita & demerita, sicq; lupi pœnas inferni subituri pro cæde ovium, columbæ & oves pro sua mansuetudine cœleste præmium receptoræ. Ergo perinde est cæde illarum maculare manus, carnibus stomachum, atq; antropophagiâ. *Imagines,* inquit Arist: l. 8. hist. c. 1. *Solum sunt scientia & prudentia in brutis,* non res, quicquid in illis similitudinem gerit industriae ope imaginationis ac sensûs interni peragitur, uti inquit l. de quant. Animæ c. 18. Præsul Hipponensis. *Quod voces attinet brutorum, illæ juxta Philolophum 7 Polit. cap. 2. solum molestum & jucundum significant:* id est passiones indicant, sed non texunt orationem & 1. Polit. 2. *sermonem dicit, homini esse naturalem rationem enim & oratione à brutis distinguitur.* Neq; egent bruta commercio sermonis, sunt enim determinata ad omnia quæ vitæ

sunt eorum necessaria, scilicet ad operas, vestitum modum se-
tuendi, nam omnia in brutis ordinantur ad conservationem sui
ad quod non est opus sermone: sed sufficit dignoscere corrupti-
vum. Hominis verò passiones ordinantur ad contemplationem
universi, idè non solum debent significare discretionem jucundi
à molesto sed & falsi à verò, sed & unius entis ab alio, ad quod
sequuntur quàm innumeræ cognitiones, tam voces.

27. Ungves & unguæ in animalibus animantur.

Vivunt enim nutrimentumq; accipiunt per venulas sibi ad
radicem adjunctas: nam ut Gal. lib. de administ. anat.
cap. 11. observavit, ad eorum bases vena, arteria, & ner-
vus terminatur. Per quem sugunt impuriorem sanguinem, au-
genturq; in longum, uti quotidie experimur etiàm in profun-
dum, quia cum ætate crassescunt, neq; ibi primò incipiunt ubi
caro desinit, materia eorum proxima ad articulum propiorem
ferè extenditur, quæ si ibi aliquo casu compressa, aut læsa fuerit,
idem suo tempore in ungue vitium spectabitur. Si cultro aut vi-
tro abradatur, (quod in eo vitio per quod digitis pedum incre-
scunt utiliter solet fieri) redeunt ad suam crassitiem. Causa affi-
ciens illorum vix plastica, quæ leoni aduncos: simio donavit
imbricatos. Meritò verò Empedocles rejicitur, qui censuit
ungves, nervos esse congelatos. Quod varios assumant colo-
res, oritur à subjecta materia cum fiat in se pellucidi. Hinc Eu-
ropæis albicant cum modica rubedine, Æthyopibus nigricant,
quæ hic est color corporis. In ictere morbo flavent, & juxta
Hippocr. Sect. 1. Coact. prænotat. Aphoris 493. si lateant in
ægorantibus ex morbo acuto, vel hydrope, mortis sunt indici-
um, quia livoris causa est caloris extinctio. In tabe adunci fiunt,
& albidii, quia calor nimis percoxit materiam. An ex ungue leo
possit cognosci? Veteribus fuit certum, nec nobis dubium,
servat enim & in hoc membro natura cum cæteris proportionem.
Ex ungue hominis magnitudinem assequi in promptu est, dum-
modo partium rationem à Kircherò Tom. 2. Musurg. lib. 10. præ-
oculis habeamus. Facies est nona pars longitudinis totius ho-
minis cuius pectus ad inum femur constituunt tres partes. ad-
datur ex Hugone Sempilio lib. 3: de Math. discipl. cap. 2. §. 1.
Quod

Quod pollex sit terra pars faciei, & ejus crassitie cujus longitudo in sui pollicis quarta pars unguis. Itaq; si unguis sit unius ulnæ, pollex erit quatuor, facies 12. & tota longitudo hominis 108 ulnarum. Noscitur & complexio ex ungue, ex quibus hæc cum Luca Gaunico lib. de Sculptura pag. 330 deduci possunt. Ungues lati colore albo, subflavosq; tincti, naturæ bonitatem: angusti prolixiores ac curvi carnosii improvidum ac malè sensarum obliqui ad repaces accedunt aves: parvi, nigri, asperi, & qui carni adhæseriat, vitia Melancholicorum: rotundiores calorem exuberantiorum, & ea, quæ istam consequuntur temperiem. Maculæ unguivum notant sanitatem, & calorem robustum, qui secernens partes sanguinis alias ab alijs, eas maculas efficit.

28. Sua Specialia habet in variis animalibus quævis anima.

Capite caret orbis piscis marinus. Asini inveniuntur cornuti in Africa, teste Herodor. & apri apud Indos teste Plin. Aonij boves unum cornu in media fronte gerunt. Aelian. mobilia cornua habent boves Phrygij. Philippo II. Hisp. Regi equus cornutus fuit. *Lingvam* non habet testudo marina & Crocodilus, ranarum lingua extremo oris alligatur, versus guttur libera porrigitur. Bifida lingua est lacertis. Nierem. Hist. Nat. *Dentium* loco Chamelæxon os continuum serratum gerit. Herculi triplici ordine dentes, in Silesia cum aureo dente natus puer. And. Schot. *Cervice* unius ossis constant lupi, Leones, Hyænx: Canes aliqui in America nascuntur sine ulla. *Mammæ* intra atmos elephas habet: Simius in pectore. Cornigera sunt, quæ bifidulis unguis. In Arabia felici, cauda arietis librat. 44. Pilo versus caput obversos habent Origes. Tarandus, Polypus, Chamelæxon assumit, tetigit quoscunq; colores. Ranæ solum in oculis, corde, & paucis venulis habent sanguinem. Ex ossibus leonum masculorum ut è silice ignis excutitur. *Costæ* homini octonæ, suisibus denæ, cornigeris 13. serpentibus 30 Plin. Cor maximum asino, lepori, muni, cervo. Duplici corde Elephantis invenit Gal. Ranis geminum *jecur*, *Liene* caret Chamelæxon. Mures in Orientali India inveniuntur magnitudine vulpium, in Calecutio lacerti instar aprorum. In Africa sunt aliqui muti canes. Ranæ in Cyrene silent. Arist. Oribus in Anglia potus aquæ exitialis

Cardanus. Camelos vivere annis 50 ait Arift. Elefantos 200 imo
& 300 Solinus. Catos 10. mulos 80. afinos 30. equos etiam ultra
50. Boves, fues, canes 20 oves 12 capros 8.

29. Colorem non in fola fuperficie videmus.

ERgo quodlibet corpus aliquouſq; diaphanum. Id ante nos
aſſeruit Lud. Coronell lib. 3. Phyſ. Joan. Bapt. Bened. epiſt.
ad Philib. Pingonium: proinde nec reflexionem fieri lucis
â ſola ultima ſuperficie, cùm hæc ultima non detur: quòd verò
non tranſeat lumen quodvis corpus, partes interiores aſperæ,
quæ etiam ſunt in polito corpore, cohibent, & refleſtunt. &
ideo nix & glaciæ fatina non tranſparet, quia partes inæquali-
ter fitas habet, tranſparebat autem integra quia partes habet æ-
qualiter collocatas. Imo nec videretur corpus, niſi lux intraret
illud. Idcirco metallica ſpecula non videmus ſed ſolam lucem
reflexam in aëre vicino. Vitrea videmus, quia radius illa ſubin-
trat. Veritatem hanc, ſi cui experiri placet, non dubito, quin
charta illi fit opaca, tranſparet: magis opacum lignum, aurum
argentum, tamen ductum in folia pictoria tranſparet ſi nigro ſu-
perponas. Alioqui, ſi ſola ſuperficiæ videretur, datur ſuperficiæ
indivifiſibilis, hæc addita alteri & milleſimæ non augebit corpus,
cùm indiviſibile additum alteri ſimili facere quidem poteſt plus,
ſed non majus. Si autem purè opacum corpus dederis, lucem
ſolam ante illud videbis. Non tamen lux in infinitum diaphana
penetrat, nam mare puriſſimum non ultra 15 ulnas lucet, ulte-
rius jam tenebræ.

30. Viſio fit in retina.

OCulus tunicis octo conſtat, tribus humoribus, muſculis
ſeptem. Ex tunicis *retina* eſt quædam, quòd rectis figuræ
colludat eſt levis, denſa, ac ſolida, alba. & ſubiſua ali-
quantum, cujus officium eſt imagines per oculum illaſas tan-
quam in ſpeculo repræſentare, unde & ſpeculoris dicitur, cen-
trum oculi pro ſuo centro habet retrò terminata per nigrum cho-
roidis colorem. In hac ergo dicimus viſionem fieri. Quia in
ea parte oculi fit viſio, in qua ſubjectatur radius formaliter viſori-
us, in

us, in sola verò hac subjectatur. In crystallo enim tantùm con-
fusa lux redditur, quod quisq; experti potest qui lentem con-
vexam similem crystalloidis objecto colorato opposuerit. Et hinc
ratio redditur. Quare noctua de die non videt, nisi obscure.
Quia scilicet lux copiosa in retina species objectorum diluit,
noctuæ verò amplam habent fenestram, per quam admittunt
lucem, pupillam scilicet, & insuper aliquod lumen nativum;
quod efficit, ut noctu distinctius objecta intueantur. Et hoc
modo albus color disgregat visum, quia plurimùm secum lucis,
utpote illi affinis, advehit. Hinc etiam aliqui constringunt pu-
pillam, alij manum opponunt, ut lucem arceant, dum diffusa
speculantur. In nervis optici nulla cavitâ reperitur, ut Vesal. l. 4.
cap. Anatomicè inquisivit.

31. Species Visibiles & Lux produ- cuntur successivè.

Et doctrina Arist. lib. de sensu & sensibili c. 6. quam sic pro-
bat. *Quod movetur ab alio, in aliquod movetur, quare
neesse est quoddam tempus esse, in quo movetur ab altero in
alterum, tempus autem omne divisibile, quare erit quando non
videbatur radius, sed adhuc in medio forebat. In quem locum S.
Tho. lect. 16. addit Si mobile simul esset sub utroq; termino, fore
ut non moveretur ab uno termino ad alium vel enim esset in ter-
mino à quo, & sic simul esset actus, quatenus haberet terminum
ad quem, & simul potentia, quatenus adhuc esset in termino
à quo.*

32. Species sunt proprium Objectum potentiæ visivæ.

EX Philosopho cap. 1. de memoria ubi inquit. *Memoria spe-
culatur, & sentit simulachrum quoddam simile typo, aut fi-
gura, non tamen secundum se, sed tanquam imaginem quod
ad oculum facillè ob paritatem rationis transferre & clariùs Ma-
gnus Aug. lib. 11. de Trin. c. 4. hoc ipsum docuit sicut ergo ima-
gine cognitâ in somnis ducimur in cognitionem Objecti, ita
imagine cognitâ in oculo. Idem sentit S. Thom. lib. 3. contra
gentes Cap. 69 Idem tota antiquitas. Et adde certum fuit Du-
rando*

rando in idum dif. 3. q. 6. ut diceret, *Si species non videntur, neq̄ dantur.* Species enim est talis imago, quæ rei formam, ac figuram propriaq̄; lineamenta expresse continet, aptaq̄; est visum terminare: Hæ species à coloribus veris producuntur, ad eum modum, quo lumen à luce, sicut enim lumen à corpore lucido perpetuo fluxu emanat sine ulla diminutione corporis lucidi, sic dimanant à corporibus species visibiles. Hæ diversa media transeunt, & coloribus pingunt diversis, neq̄; tamen videntur, nisi, quæ in oculos incurrunt. Hæ amoto objecto statim evanescent, neq̄; à corporibus sine luminis præsidio producuntur.

33. In Speculo nihil videmus.

Solùm enim confert ad hoc speculum, quòd species suâ politâ superficie opacâ integrè ad nos reflectat. Idcirco & res majores apparent ipso speculo, & non nisi ex certo loco conspiciuntur: Hinc & in tanta distantia post speculum apparent objecta, in quanta sunt à speculo. Ex hoc procedit, quòd ante concavum videamus velut egredientem imaginem ex hoc quòd in speculo dextra pars objecti à sinistris apparet, & è contra.

34. Perspicilia ignota fuerunt Veteribus, nunc non eadem omnibus.

Observavis doctissimus Lipsius cent. tertia epist. 336. nunquam mentionem perspiciliorum apud veteres deprehendi. Collyrijs ægros reficiebant oculos, succurrebant substituto Lectore. Ponit quidem Pagninus Deut. 6. 8. ubi nos legimus *Et moriebuntur inter oculos tuos*, ponit inquam, & supponit, *erunt perspicilia inter oculos tuos*, sed vocem Hæbræam Totaphot, Atrias, Buxtorfius & ipsemet Pagninus in Lexico vult significare frontalia, non *perspicilia*. Idcirco probabilius est reperta circa annum 1300. quando scientia Optica ingens lumen accepit à Vitellone à Rogerio, Bacono, à Joan. Archiep. Cantuatiensi, à quibus velut nova tradita ars expoliendi, & confirmandi perspicilia, idcirco & scriptores, qui hæc tempora secuti faciunt perspiciliorum

spiciliorum mentionem. Tentavit quidem negotium & fere ab-
solvit speculative Alhazenus Arabs sed forte in praxim non de-
duxit, ubi neq; Bacon, quos reperit tubos Opticos jam anno
1270, perfectos reliquit cum illi primum per Hollandos seculo
superiore mundum viderint, & videndum exactius præberint.
Hæc specula diversa, prout alicui humor crystallinus figuram
contraxit, concava myopibus, quia illis humor collectior, pla-
nior alijs, quibus diffusior, convexiora senibus, quibus magis
planitiam affectant, quibus optimè constitutus planissimis solum
possunt uti, Ex his aliquot conclusionibus alia plures deduci &
in modum responsoꝝ ad quaesita formari possunt. 1. Quare
longa columnarum aut arborum æqualiter distantium series ordi-
ne spectata inæqualia refert objecta, nam quæ remotiores co-
lumnæ, videntur minores, & sibi invicem propinquiores? R.
Quia per lineas ad æqualia procurrentes spatia mutatur angulus
visus sitq; semper minor, atq; angustior quanto columna re-
motior, & idèd cum ipsæ lineæ claudentes angulum sint inter se
conjunctiores, quò feruntur ad objecta remotiora, tantò
etiam apparent objecta inter se propinquiora, tametsi inter æ-
qualiter distent. 2. Cur in longis ambulacris tabularum re-
motiores partes deprimi, & pavimentorum magis attolli viden-
tur. R. Quia lineæ visivæ à partibus pavimenti remotioribus
sunt supra alias, à remotioribus verd tabulati, infra alias, idcir-
cò partes pavimenti remotiores spectantur altiores, tabulati de-
pressiores. 3. Cur sub crepusculum aut in nebula res longius
quàm sint abesse putemus? R. Quia oculus ex quotidiana ex-
perientia judicat ea, quæ obscurius apparent longius abesse. 4.
Cur glans è bombar. la emissã non videtur? R. Ob celeritatem
motûs, qui in re visibili non sinit quiescere aliquantulum visum:
sine quiete autem aliqua internus sensus, aliquam notionem seu
internum simulachrum efformare non potest. 5. Cur navigan-
tibus fugere ad puppim colles campiq; videntur aut etiam celerem
aquæ motum invenientibus omnes ripæ moveri, aut cur navis ali-
am præteriens eadem velocitate, illa duplò celerius moveri puta-
tur? R. Id fieri dum oculus uno in loco fixos tenet axes opticos,
ipse cum toto corpore motus tum enim rem quam intuetur sem-
per alio & alio loco inruetur, & ita moveri judicat. Navis au-
tem, quam altera prætervehitur, in partem contrariam eadem
velocitate mora, idèd celerius moveri judicatur, quia oculus
sam intuens duplò celerius in alium locum ad navim conspectam
transfert

transfert quàm si una tantùm navis moveretur. 6. Cur crystallus supposito colore ex adverso spectata tota illo infecta viderur. **7.** Quia color per crystallum transmissus in latera impingit, à quibus ex parte reverberatus ut potè terfis & mediocriter opacis, iterum redit, itaq; compactiorem efficit colorem, totamq; crystallum illo tingit. Sic gemmæ fiunt ex crystallo fictitiæ, dum inter duas crystalli partes color quicunq; mixtus lachrymæ masticis interponitur.

35. Optima constitutio oculorum procedit a colore, situ, spirituum constitutione.

Colorum optimus censetur medius inter cæsum & nigrum. Niger cum augeat tenebras, objecta valde illustrata desiderat, & in obscuro deficit: cæsius ob lucis copiam caligat in lumine, ac confunditur: cæruleus medium tenet. Profundiores oculi exactius vident distita, sic ex puteo etiam de die stellæ possunt conspici, & tubus qualiscunq; ad motus oculo non parùm juvat ad remota dispicienda. Prominentes hoc habent beneficij, quòd etiam è lateralibus objecti speciem hauriant sed ad remota vires tenuiores habent, multæ enim luci patent, quæ circumfusæ confunduntur species in retina, maximè distitorum. De spiritu sic censet Galenus, & bene. Si multus sit bene videntur remota, si purus, exacte: quare purus & multus spiritus facit, ut & remotè, & exactè videamus: paucus vero, & purus exactam quidem reddit visionem, sed viciniorum: paucus & nubilosus, & proximis ægrè sufficit, & nebulosa ea reddit. Qui verò ex his ingenij certiores sint indices constitui certi nihil potest: Cæsius dedere veteres Minervæ, ac multis subnigri, & Croceis radijs flavescens fuere Julio Magno, & victorijs & ingenio Cæsari, ut notat Sueton. Socrati erant magni, nitentes, ac pellucidi. Pico Mirandulano, qui sui sæculi dicebatur Bibliotheca parvi, ac flavi, uti narrat Jo. Bapt. Porta. Hippocr. ait magno & præditos medio colore inter flavum & cæsum optimam temperiem notare. Arist. scripsit quibus oculi subnigri declinant ad flavum colorem, boni animi esse.

36. In pupilla apparet imago Objecti.

Cum sit polita reflectit species objecti, & cum sit convexa modicas format icunculas quales olim dicebantur Pupæ, quibus pueri colludebant à quibus Pupilla duxit nomen in homine semper rotunda, in bove ovalis, in fele rhombois. Geminam in aliquibus Ovid. notavit. sed hoc ipsum Plin. dixit esse commune quibusdam forminis in Scythia: ejusmodi oculi dicuntur Latinis *bisui* quasi bis tuentes, Sed cum pupillæ foramen subiaceat, huic duplici pupillæ non subjacet duplex, sed pars Iridis exterior, seu major limbus nigrior justò speciem præbet alterius foraminis. Constringitur, & dilatatur in bestis, quod id ipsum evenire, & humanæ Pupillæ primus advertit Paulus Venetus: in circulo seu iride oculi tres sunt colores, duo versùs albam tunicam, qui sunt valde diluti, & solùm in magna luce apparent, tertius versùs pupilam est expressior, sed illi duo sunt apparentes solùm orti ex certa lucis retractione nam eâ deficiente evanescent, neq; subjectum illorum reperiri potest. In Hist. Animal. Arist. lib. 1. c. 9. Quatuor principales agnoscit colores in oculis animalium. Nationibus etiam est proprius color. Æthiopum nunquam sunt castij oculi Germanis Anglis sapius, & Polonis.

37: Coloris nigri intuitus etsi colligat visum non juvat oculum.

Expertus hi qui in obscuro carcere diutiùs detenti. Nam conatus ad videndum retinam distemperat, dum spiritibus coactus pœnè inflammat, hinc tales oculis rubere, inardescere sæpe & audivimus, & spectavimus. Ut verùm sibi pervascerat Plin. 28. c. 6. non timendum ei ægro à feretro ejus pupilla reddit imaginem, imò Cardanus lib. 8. variet. asseruit tridudè ante mortem in oculo ægri deesse imaginem: sed cur deesset? An quia non est polita, & specularis superficie? & certè, ita ut & in mortuo reddat iconem uti experientia docet, sed quia sæpe humoribus crassis inspergitur, aut nebulâ inducitur ortâ ex crassitie vaporum: quòd cum non semper contingat, nec semper evenit in moribundi oculis deesse imaginem.

38. Visus læditur ab Excellentī Visibili.

Effatum est Arist. 2. de anima tt. 123. confirmârunt multi eventus. Xenophontis milites perpetuus nivium intuitus excœcavit, uti narrat Galen. lib. 10 de off. part. Apud Græcos pelvis polia objiciebatur ijs, quibus cœcitatē supplicium irrogare constitutum. Dionysius Tyrannus hoc ipsum efficacius reddebat, cū prius juberet densis tenebris detineri excœcandos. Id contingit, quia objecta illa vehementius agunt, quàm organum sustinere possit. Lux enim conatur sibi assimilare subiectum, scilicet retinam.

39. Vehementi sono potest quis excœcari.

Schenkius non ignobilis Medicus lib. 1. observ. exemplū hujus rei affert in cive Argentinate, qui multā explosione tormentorum cœcitatē contraxit. Sed quid causæ? torulcatio accensī pyrij: sed illa multo obnubitur fumo: quodsi neq; illam spectaverit? verius est concussionem aëris id effecisse. Non ignotum est ulli: fragore machinarum bellicarum aded concuti aërem, ut fenestræ, fornaces, & alia debiliora trahant ruinam. Sic & homo concutitur, inde humor concussus pituitosus in cerebro incidit in nervos opticos, his correptis morbo, spiritibus ad retinam interclusum iter: confirmat hoc vehementer, quod narrent Medici, non paucos nimia sternutatione tenebras oculorum contraxisse.

40. Fascinus fit per emissionem virulentæ Qualitatis ex oculis.

VAlef. sacræ Philos. c. 68. persuadet sibi fascinum aut fabulā esse, aut solum ex pacto cum Dæmone noxam inferre. Hinc ait pueros pingviculos, & formosulos fascino corripit; corripit & optimas pecudes, nō corripit deterioris speciei, quia priores attentio-

attenti
quæ
1. fa
omnia
tur sp
struhi
tur: t
Neq;
qui in
oculis
quæ
in Po
juxta
etiam
culos
filicis
suam m

41.

M

Simplic
mulcæ
la crass
innatan
tigerit
tamen
tum, fi
cere. C
verò uni

42.

S En
plia

attentioribus oculis solent aspici & cum natura sit illis in summo,
 quæ citò ab eo gradu delabitur sponte juxta aphoris Hipp. 3, lect.
 1. fascino adscribitur, quod naturæ regressus fecit; sed non licet
 omnia ad fabulam trahere. Effundunt oculi qualitates; testan-
 tur specula, quæ intuitu suo malo correptæ sceminæ: testantur
 struthionum ova, quæ non incubatu, verùm aspectu excludun-
 tur: testantur oculi sanorum toties à lippientibus malè affecti.
 Neq; ex vano scribit Plinius, esse quosdam in Triballis & Illyrijs,
 qui intuitu fascino, & interimunt, præcipuè si diutius iratis
 oculis spectent. Idem adstruit Apollonides de sceminis Scythiæ,
 quæ vocantur Bythiæ. Idem Philarchus de Thibiorum genere
 in Ponto: Idem persuasum habuit Plutar. lib. 5. Symp. 7. Nam
 juxta Stagiritam, 2. de Insomn. c. 2. visus non solum patitur, sed
 etiam agit. Vapores itaq; ex referto illis oculo fumant & in o-
 culos aduersos utpote tenuiores se insinuant. Hoc modo & Ba-
 siliscus necat quos intuitus, hoc modo & quædam venenata
 suam malignitatem ingerunt.

41. Sensibile positum supra sensum non sentitur.

Multis id oraculum Stagiritæ perplexum visum est. Vide-
 mus enim quædam oculo non solum vicina, sed etiam
 intima, quædam non videmus. Nam teste Gal. lib. 1.
 Simpli. c. 3. Affectio illa, ex qua aliquibus videntur præ oculis
 muscæ volitare, Scarabæi, araneæ, nubeculæ &c. sunt corpuscu-
 la crassiora ortæ vel ex crapula, vel ex bile atra, humori vitreo
 innatantia. Scintillationes etiam nobis conspicuæ sunt ubi con-
 rigerit caput allidi. Sed oculus suas partes non videt. Novimus
 tamen quandam eruditione conspicuum visu profundiore prædi-
 tum, fide integrâ, qui asserit subinde se sui oculi partes conspi-
 cere. Censemus igitur Aristotelem de ordinaria sensatione, non
 verò univèrsaliter locutum.

42. Ovum injectum dolio aquæ. multò grandius apparet.

Seneca dat causam. Quidquid videtur per humorem ani-
 mus plus est verò. Sed ratio ulterior est ex natura specierum
 & medijs.

& medij. Aqua est densior aëre idèd in aquam quasi in fascem species colliguntur ad perpendicularem: radius enim tamdiu manet directus quamdiu in uniformi medio procedit: quam primùm verò in corpus aliquod opacum incidit, reverberatur in idem medium per quod advenit, & dicitur radius reflexus, qui & efficit angulum reflexionis, æqualem angulo incidentiæ. Si verò corpus, in quod radius illabitur, sit diaphanum, & medio, per quod radius advenit, contiguum tantùm, eoq; vel densius vel rariùs, tunc radius directus transiit in illud medium, non tamen in directum, sed post punctum incidentiæ declinat in latus, vel dextrum vel sinistrum, prout ratio medij exigat. Si enim in corpus densius incidat, ex medio rariore versùs perpendicularem fit refraction: si verò incidat in rariùs, ex densiore medio à perpendiculi refringitur radius.

43. Non per quemvis Tubum astra speculari possumus.

Requirit Galilæus in Nuncio Sydereo, ut sint vitra purissima, & quæ minimùm quater centies augeant objectum, talis enim etiam viciniora bis decuplò demonstrabit. Qui vult experiri talisne illi sit tubus. Pingat duos circulos in Objecto pariete, quorum unus alterum quater centies excedat, id autem fiet cum majoris diameter ad diametrum minoris fuerit in longitudine vigecupla, hos circulos contempletur, minorem per tubum, alterum libero oculo, & si figuræ ambæ æquales comparterint, poterit audere illo tubo armatos in cælum convertere oculos, alias ludet operam, & suo vitio Astronomis dabit vitium. Optimus verò tubus lentium quinque convexatum, qui & multum de objecto aperit, & non inverit.

44. Sonus est passio àëris icti.

DVo igitur corpora ad sonum concurrere debent, quæ aërem frangant. Species soni successivè feruntur juxta vibrationem aëris, cui insident. Hinc post tormenti militaris explosionem, uti & post fulmen non statim venit ad nos sonus, nam aëris una pars post aliam oscillat. Magis audimus, si faciem loquens obtendat nobis, quia versùs nos directè impellit aërem,

à par-

à partibus autem obliquiùs illa commotio allabitur. È longinquo remissior sonus, quia ut inquit Arist. probl. sect. 11. *Minus, & minus àer, & ut numerus emarcescens in unitate finitur.* Clauso ostio eminus videtur venisse, quia species per rimas, poros, meatus subtiles penetrando ad eam se tenuitatem reducunt, in qua sunt è longinquo venientes, ob hanc causam cœlo impuro aut nivofo sonus campanarum videtur à remotiori redire. Supra aquas magis propagatur, quia nulla obfistentia turbant aëris tremorem, Tormentum versùs quam partem exploditur magis propellit sonum, quia magis & aërem: hinc tonitrua, quamvis grandia è remoto non exaudiuntur, quia non ad latus, sed versùs terram impellunt. Hinc oritur: si plures simul loquantur, confusè audimus, hinc si per vitrum nos affariconetur, nihil audiamus. Nihil, si ore admoto mensæ lapideæ per eam, uti per trabem ad nos velit progagare sermonem. Surdasti meliùs audiunt tubo aut manu aërem colligentes, vox ad nos ubi in corpus aptum iniegit, reflectitur. Eruditissimè hæc, uti omnia solet, Præsul Hippon. 7. Civit. 14. *Idèò alas Mercurio Eloquentia Præfidi, Veteres in sapie, & pedibus posuerunt; volentes significare volucrum per aëra sermonem.* & 11. Civit. 2. *Inter sonantem, & audientem aërea spatia verberantur.*

45. Musica varias in hominibus passiones excitat.

T Remulum enim reddit aërem, quem spiritus, qui in corde sunt, recipiunt, quos reliqui per corpus dispersi imitantur, moventq; musculos, aut cohibent; prout numerotum lex, vel crebescit incitationibus, vel tenore composito quiescit. Hoc modo etiam evenit in fidibus, dum tangitur una chorda, altera æquè tensa contremiscit: hinc etiam Iusu venit, ut aliqui aliud agentes canentibus concinant: si quis submissè loquatur & nos vocem Submitamus, si quis clamet & nos clamandi libido incessat; idcirco, si quis in prælio exclamet, idem tota facit acies. Ergo cum non eadem omnibus in sit temperies, diversis diversa placet Musica. Nam ut placeat, debet habere cum indole audientis consonantiã. Hinc melancholici humore lento gravati, acutos spissosq; tonos abhorrant, quia harmoniosus motus spiritui hominis lentiori, non æquali tempore responderet, fit ut yellican-

do quasi spiritum, loco iuventutis horrorem ob vehementem commotionem inducat. Cholericus spiritus agiles, & mobiles; acutis gaudet modulis, quia æquali tempore cum eorum spiritu concitantur.

46. Vocis quantitas provenit ex mole, aut robore Organorum.

Certe mirum quod notavit Plin. lib. II. c. 51. dixit. *Vox in homine magnam vultus habet partem, à quo scimus eum priusquam cernamus, non aliter quam oculis, eisdemq; sunt ea, quot in rerum natura mortales, & sua cuiq; sicut facies.* Pescennius Niger Imp. de quo Spartianus, ad eum fuit vocalis, ut in campo loquens per mille passus audiretur. Stentor de quo Homerus Iliad. E quinquaginta simul clamantibus respondebat. Fecit id magnitudo, fecit siccitas organi. *Non possunt magnam vocem formare, (docet Arist. de audibil.) quibus pulmo exiguus vel durus, vel densus,* hic enim non multum aërem, continet, non multum extrudit. Vocem acutam reddit, celeritas spiritus, violentia duram, hinc idem variare vocem potest, prout aërem ex pulmonibus expellit. Egri & jejunantes, debiles formant sonos, facit debilitas impulsus. Lima ferrum radens ingratè sonat. Quia percussio aëris fit multa simul secundum parva. Chorda tenuis dat tenuem sonum, quia in exiguo loco aërem percutit. Pueri circa decimum quartum mutant vocem: item qui tussim habent, quia arteria redditur inæqualis, & in ea vox contorquetur. Iratis vox intercidit: lingua impeditur ob violentiam spiritus in unam partem impellentis, qui in aliam facile transferri non potest. Potissimum tamen causat varietatem soni, ut advertit Kirch. in Musurgia Laryngis temperamentum. Nam humidum sine affluxu humorum profert vocem fuscam, confusam, obturam; si cum affluxu raucam, Siccum canoram, resonantem; & si multa sit siccitas, tinnientem, stridulam, clangosam. Moderatum amœnam; polita larynx vocem puram: asperam inæqualis. Qui timeat, vocem parvam habent, quia calore ad interna regresso rimula glottidis angustatur, & aër qui à calore propelli solet vehementius, leniter impellitur: Qui dictis experientiam vult apponere, sumat fistulam organi Musici & variet foramen, diversitatem experietur.

47. Ranæ Coaxant aquam expellendo
haustam, 20

HAuriant immodicè aquam, tum pulmonibus, quos prægrandes habent per rimulam super glottidem expellunt, aquam verò in gutturis cavitate colligunt, & ubi expenderit, novam resorbeat. Hinc ille sonus exoritur. Gurgulio seu Gargarium est caruncula rotunda in extremo palato dependens. Larinx est caput asperæ arteriæ, quod sursum fertur, dum aliquid deglutimus. Pulmones habent virtutem attrahendi aëris pro formanda voce, & expellendi per asperam arteriam, quæ idèd dicitur vocalis, & cum sit angusta aër per eam emissus percutit magnâ vi aërem existentem in larynge, vel in gurgulione, ipsumq; ad fauces allidit, & per hanc collisionem attracti & emissi aëris fit sonus, qui alijs residentibus in ore instrumentis, scilicet lingvâ pallato, dentibus, labijs in vocem expolitur, & apud homines in verba articulatur pro libito loquentis dirigente imaginatione. Ranæ verò interim aquis implent ora, & illas expellendo aërem simul expellunt, & sic raucos conficiunt sonos. Inter sonos verò sunt extremi acutus & gravis, sicut inter colores albus & niger, ex quibus cæteri medij conficiuntur. *Acutus* est, qui subtilibus, & celeribus crispationibus medium movet, idèd se habet instar pungentis tympanum nostræ auris: idèd; chordæ magis tensæ & breviores acutiùs sonant, quia celeriùs crispantur, tenues verò, quia subtiliùs. *Gravis sonus* est, qui tardas & grossas facit in medio crispationes. Hinc Aristotelis definitio intelligi potest facilè, cum dixit. *Acutum esse sonum qui parvo tempore multum movet.* Scilicet multas facit crispationes. *Gravem verò, qui majori spatio parùm movet.*

48. Natura liquoris ac ligni, imò hominis in
tenebris ex sono colligi potest.

Diversus liquor, si eo vitrum repletum pulsaveris diversè moderatur sonum. Graviùs & obtusè aqua sonat, & edèd gravior quòd fœculentior: acutus & tenuior sonus aëreum magis consequitur, patebit hoc ex aquis distillantibus hoc modo sonum si captes. Acutissimus est igneis uti quintis essentijs. Eo-

dem modo diversa ligna suspensa liberè & pulsata diversè respondent, quò densiora, graviùs, quia vibratio in his tardior. Idem est in metallis, plumbi obtusus ob prædominium humidi: gravis & vehemens in ferro ob terrestrem, ac bene compactam materiam, in alijs alijs Aristoteles etiam ad hominum mores regulam hanc conjecturaliter refert. Qui voce magnâ inquit, vociferantur, asinini petulantes: Tardam vocem habentes frigidi, & siccî terrestris temperamenti, avari timidi, abjecti animi, eos qui gravi incipiunt, desinunt in acutam, ad boves refert. Qui acutam, mollem, & fractam, delicatos, teneros. Qui gravem, magnam, audaces, fortes, manu promptos habendos censet qui molli voce ritè contenta utuntur, inter oves reponit. Qui acutâ & intensâ inter capras.

49. Naturaliter Cythara Davidis morbum Saulis alleviabat.

PHrenesis à non paucis creditur Sauli data nomine mali spiritûs, quæ juxta Josephum alijs remedijs exasperabatur. Hæc Musica levati, si non curati, potest. Nam sonis lentis sedantur spiritus acres, ne ita evolent in cerebrum, & meningem lancinent, sedantur etiam vapores, è stomacho hypocondrijsq; fumantes. tum spiritus puriores calefacti siccum Melancholicum in cerebro dissipant, ac rarefaciunt, ut per poros expirare possit. Phantasia interitum abstrahitur, ne suo malo intendat. Hoc modò à Tarantula Apuliæ araneo morfi redduntur sanitati, hoc ab alijs malis subinde recreantur. Quodsi etiam Saulem verè Dæmon exagitabat, quia naturali Saulis constitutione abutebatur, nigramq; bilem præter naturam agitabat: hinc etiam enervumeni solent medicinis juvari, cum humores maligni, instrumenta scilicet lædendi submoventur, & hoc ait esse compertissimum Rayn: nat. Theol. d. 2. n. 7. in fine. Harmonia delectabilis tristitiam & timorem dissipat, ac dissolvit, ut per illam Pythagoras apud Senecam lib. 3. de Ira cap. 9. *Perturbationes animi componere sit solitus. ubi idem Seneca addit. Quis autem ignorat, lituos & tubas concitamenta esse, sicut quosdam cantus blandimenta, quibus mens resolvatur? confusis oculis prosunt virentia, & quibusdam coloribus infirma acies acquiescit, quorundam splendore perstringitur, sic mentes agras studia lata permulcent.* Tercio itaq; hoc

hoc humore, qui cordi cerebroq; affunditur, nonnihil Musicâ purgato, ac hilaritate discusso quies corpori animoq; conciliatur. Dæmon autem qui Melancholicâ dispositione gaudet ut ait Tyræus lib. de locis inf. cap. 15. num. 5. (hinc etiam solitudines & palustrina incolit) eâ sublatâ indirectè & quasi ex accidente, vel abigitur, vel impeditur. Quod Lyranus agnoscit in cap. 16. Reg. 1. ait enim per melodiam aliamvè rem sensilem posse caulari dispositionè in humano corpore, per quam minùs subijciatur actioni Dæmonum. Et rursus cùm melodiâ attentionem animi alliciat ad se, & ab alia tristi cogitatione avocet, ægritudinem à Dæmone allatam mitigare potest, non agendo in Dæmonem, sed mentem, patientis à sui mali contemplatione avocando, & simul canentes audientesq; ad devotionem excitando, opem supernam conciliat. Ita & Galen. lib. 4. de locis aff. cap. 30. & Avicenna docent, morbos aliquos non solum levare sed & curari Musicâ. Asclepiadem Musicâ surdos sanasse refert Faber Stapuleasis. Imò Boët lib. 1, c. 3. Narrat Philosophum quendam lyrâ Dæmoniacum liberasse. Narrant & Phytagoram Musicâ ebrios ad sobrietatem revocasse: S. Basil. hom. 54. Alexandrum M. Milefij melodîâ ad mensam canentis velut insanum ad arma profiliisse, & remittente cantu furem remisisse.

50. Et tiam dentibus potest sonus percipi.

Paradoxo quidpiam simile diximus, sed ratio vindicabit. Modum audiendi per dentes descripsit Jo. Bapt. porta. Apprehende, inquit, dentibus Scipionem oblongum, & extremiorem colloca supra fides, vel testudinem, quæ pulsetur; aurelq; digitis quàm maximè pretes, observa: nihilominus sonum percipies clarissimum, etiamsi chorda quàm modestissimè tangentur. Descripto modo, damus rationem. Sonus cum impulsu aëris propagatur: aër regulariùs protruditur ubi aliquo corpore fulcitur recto: hic verò ad aures etiam per os producitur, nam est canalis qui ex auribus in os infertur, & præterea arteria carotis ab auribus ad maxillam superiorem procedit, idcirco non paradoxi habendum loco per baculum sonos ad aures usq; deambulare, neq; omnino inutiliter rusticos audientes attentè etiam os diducere. Ob hanc ipsam rationem cùm in strato de-

eumbimus, & pulvillum, contingit vel subsultus arteriæ, vel pulicis inquietudo clarius multo quam magnus aliàs strepitus exauditur.

51. Rupta campana Sonat minus.

I Mò ruptos reddit Sonos. Nam cum tremore sonus propagatur, ubi incidit in campanæ fracturam ibi hæret ac ipse frangitur, discontinuat enim campanâ aër intercidit, qui est alterius constitutionis corpus. Fractam itaq; campanam notat fractus sonus. Simile quid evenit quando templum vestitum est aulæis aut plenum populo frangitur sonus, quia illiditur ad corpora in æqualia unde non æqualiter aër, qui sonum vehit, reflectitur. Sed velut radius solaris in corpus scabrum incidens dispergitur, ac dispersione, ad minutissimas particulas reducitur. Ideo & sub dio vox minor est, quia à nullo corpore in se ipsam colligitur, ut conjuncta sibi possit fortior evadere. In animali vox magna, amplitudinem tracheæ & validam aëris expulsionem indicat, aspera vox asperæ arteriæ notat asperitatem; lenis, humoris lenitatem, quo illa arteria peruncta: acuta, latyngis angustias, gravis, ejusdem amplitudinem, & quia amplitudinis causa est calor, angustiarum frigus: idcirco vox acuta frigidioris gravis verò calidioris est animalis. Oritur & in auribus sonus ex ægritudine, quam excitat humorum internam aurem occupantium agitatio, pro quorum variatione diversi exoriuntur soni: sibilus oritur ex tenui flatu subtiliter allabente, tinnitus verò ex eodem cursu interrupto, ex impulsu vehementiore strepitus, fluctuatio ex humoris huc atq; illuc jactatione. Externæ verò auriculæ sonos colligunt, quibus si quis careat, inquit Sennert. Instir. Medic. lib. 2. p. 3. l. 2. c. 3. illi soni & articulatæ voces, fluctuantis aquæ, aut resonantis cicadæ modo offerentur.

52. Echo est imago Soni resultans versus sonantem.

Proprietates ejus comprehendit Pòeta in fabula Nymphæ cuiusdam, 1. *In sine loquer, di ingeminat voces audiatq; verba reperiit.* 2. *Nec rericere loquenti.* 3. *Nec prior ipsa loqui didicit.* Nam non integra refert, quia ciculi directi à reflexis interrimuntur.

terimuntur. Non potest tacere, quia est, ut inquit Hebræi, est *Filia soni*, non prior loquitur, quia non potest esse ante Matrem. Sed tamen sæpe ita est fecunda, ut unam vocem sæpius reddat, celebratur ab hoc in Italia Villa Simonetta, celebratur Plinio l. 36. c. 15. Heptaphonos ex arte facta Olympiæ porticus septies referens dicta, quia scilicet toties fiebat reflexio soni, tot enim fuere reflectentia. Pergit enim sonus cum impulsu junctus, impulsus reflectitur, & ratione illius sonus, dummodo in bene ordinatum corpus impingat: experiendi id docet modum Porta si aurem versus speculum concavum opposueris, ita ut sit in foco speculi, clarissime exaudies quemcumq; etiam submississime contra speculum loquentem. Nam etiam sonus servat æquales angulos angulis incidentiæ. Distantia maxima, ex qua Echo unam syllabam reflectat, censetur passuum 24. minima dimidium hujus, res habet pro se experientias. Debilior Echo voce primariâ, quia & lux reflexa non collecta debilior est luce primariâ.

53. Sonus campanarum utiliter ad versus tempestates adhibetur.

Quis crederet sine magia Sono disijci nubes, disijciuntur à campanis, non ideo tantum quia sacre, sed etiam, quia spiritus in nubibus colluctantes dissipant, pari itaq; ratione tormenta bellica explodi, clamores attolli imminentibus tempestatibus possunt, vel enim dissipabunt, vel alio avertent. Soni processum describit Boët. lib. i. Musc. similitudine aquæ stagnantis. Iniice lapillum, inquit ille, circulus describetur parvus, mox augetur mole, sed crispatione deficiet: ita sonus unus alium protrudit in aëre percusso, ut circulus unus alium in aqua uniformiter difformiter, quod verò sonus vehementior, sicut lapis grandior quietus injectus humori, grandiores circulos describet, ac majora spatia implebit, ita sonus moto aëre nubes etiam, quæ sunt aëre leviores, commoveret, & si incenterum illarum cadat, dissipat: si in latus impingat, alio propellit.

54. Nisi Tympanum pulsetur, ne- mo alterius vocem audire potest.

Adeo mirabile auditus organum, ut nunquam satis illud
Artif.

Arist. Hippocr. Gal. demitari potuerint. Inter cætera continet membranam omnium, quæ sunt in corpore; partem, siccissimam: dicitur hæc tympanum, pellucida, & adeo tenuis est, ut eam telæ araneæ Hippocrates compareret, texturâ tamen firmâ & adeo densâ, ut sine poris esse videatur: sed licet illis non careât, nam exsudat materiam quæ exterius in massam densatur, & auribus expurgatur. à parte anteriori instar militaris tympani, chordæ in modum tenuissimo nervo præcingitur, siue ad firmitudinem, siue ut subsultando sonos auget. Hoc tympanum, dum soni ad aures nostras accurrunt ab ijs pulsatur, & si ruptum aliquo casu fuerit, surditas indubia sequitur.

55. Odor est qualitas secunda movens olfactum ex certa primarum qualitatum temperie resultans, in qua siccitas humido prædominatur.

Hinc regiones calidæ odoramentis abundant, teste Arist. 12. Probl. Sed siccitas non debet excedere, nam ut Plinius observat, odoratiores mane flores, quando sunt humidiores quàm in meridie, & madida iris quibus arboribus incumbit, odoratas reddit. Hinc etiam alia consista juxta rosas eorum odorem intendunt, quia intendunt & calorem. Aquæ distillatæ odoratæ, quia suo liquori multas aëreas & igneas, complexionis immiscet particulas. Idem de Moscho, qui est caro animalis frequentioris in China, ut refert Nieremb. hist. lib. 9. c. 56. animal est vulpis magnitudine, hoc virgis & fustibus enecatur, ut toto corpore sanguis effluat, cadaver putridum, & arefactum, cum pelle frustatim conciditur, sacculisq; inditur. Zibeth autem est sudor animalis, cui felis est figura, inquit Scalig. exer. 111. non nisi ab iratis peitur, quia sic plus materiæ cietur & odoratius, malè olet recess, tempore purificatur, & fit suave & odoris immensi.

56. Olfactu qui valent, non semper iidem ingenio deficiunt.

Contraria, sed non apparet ejus argumentum, multis insedit opini-

opinio. Sed pro nobis ratio est. Qui puriore sunt cerebro, magis olfaciunt, illi autem sunt viri ingeniosi. Cardanus certè inter ingeniosos reponendus, qui tamen lib. 8. variet. c. 43. habitus corporum, & alios odores, quos alij ne percipiebant quidem dignoscebat. Hebetudo enim olfactus ex cerebri nimia humiditate, quâ tam ingenij, quàm odoratus instrumenta, inepta fiunt. Cæterum qui humido sunt cerebro, valent memoriâ, sed non ingenio. Ne tamen communem persuasionem omnino proscribamus, sic moderamur, stupidi minus habent cerebrum, quam ingeniosi, nam magnum caput teste Arist. signum est ingenij, sed ubi majus cerebrum, cæteris partibus plura excrementa, itaq; ingeniosis sæpius olfactus obruitur, & cathartis sunt obnoxij,

57. A quibusdam cibus aliqui abhorrent,
quos alij appetunt.

Organum gustus non tantum nervi, qui sunt intra linguam sed etiam ipsa cutis constituit. Pulchrè hoc Anatomico argumento illustat Vesal. lib. 4. c. 6. quia major pars crassioris tertij paris nervorum, quando linguæ basi committitur, cum alterius lateris nervo linguæ tunicam conformat, aptum saporibus dignoscedis instrumentum: atq; ut primum par nervorum visus, quintum verò auditus, sic hoc tertium gustus censetur instrumentum, gustatoriusq; nervus merito appellatur. Sic ille, ex quo hæc ratio confurgit, ejusdem est naturæ cutis, cujus nervi in lingua, & si illi sunt organum, neq; hæc debet excludi. Hinc, si quorum non perduxit ad linguam natura istius modi nervos, sed aliò reflexit, omni gustu carent, prout in quodam Columbus exploravit lib. 15. Anatom. Nervi prædicti, si ex vulnere lædantur, idem vitium evenit. Hi nervi, si qualitatibus sint aliquibus imbuti, excitant certorum ciborum horrorem, aliorum desiderium, vel si consuetudo intervenerit, ut olim defini- vit S. Aug. lib. 21 contra Faustum c. 13. ubi dixit, *fieri hoc contingens vel pro temperatione naturæ, vel pro usu consuetudinis, vel pro affectione valetudinis.* Hinc ulterius procedit, & dat rationem, quare bestię alijs cibus oblectentur, quàm hominæ? quia, inquit, *quantò magis longè diversi generis corpora bestiarum, possunt illud habere jucundum, quod nobis amarum est.*

58. Sapor est qualitas secunda movens gustum.

QUæ sunt merè frigida, sapore carent, idè nec aqua, nec terra habent saporem. In quæ calor agit, siue sint sicca siue humida, actimoniam acquirunt, patet in cepis, pipere &c. Frigus cum in crassam agit substantiam, facit insipidum: cum in tenuem, acidum: cum in mediocrem, acerbum saporem. Acidus adstringit linguam ob frigus, sed simul ob tenuitatem poros ingreditur, ideòq; a Medicis censetur maxime lædere intestina, quæ penetrando refrigerat. Calor, si in substantiam mediocriter tenuem agit, dulcedinem efficit: sed si calor vicerit, efficiet salsum: si in siccam agit, reddit amarum: si in humidam, pingve. Hinc dulcis sapor gratus, quia simile habet temperamentum humano, constat substantiâ mediocriter humidâ, tenui, calidâ. Salsus lædit, quia ob calorem plus iustò dilatat poros linguæ. Amarum, quâ tale non nutrit, quia siccum.

59 Sensus tangendi non indiget speciebus.

Commodavit jam olim huic asserto suam autoritatem Princeps Philosophorum lib. 3. de Anima cap. ult. *Omnia sensoria per aliud sentiendo, faciunt sensationem, ut per medium: tactus autem est in tangendo ipsa, unde & hoc nomen habet.* Ratio suffragatur ab experientia, quia nervus omni exutus carne, gravissimè percipit quamlibet percussionem. Quòd verò caro ossibus adjacens non perterpiat eorum duritiem: inde est. Quia tactus non percipit eas qualitates, quæ ad complexionem animalis pertinent, sed tantùm eas quæ alterant, vel afficiunt complexionem.

60. Vnicus datur sensus communis internus.

QUinq; operationes huic sensui attribuntur. Scilicet imaginari, assimilare, memorare, cogitare, reminisci, & si quæ alia. Quæ tamen uni possunt attribui potentia, licet ad varios actus diversæ requirantur dispositiones, nam humiditas cerebri multùm ad memoriam, ut patet in pueris, durities

ad retinendum. Imaginatio ex causis varijs perturbari solet. Si enim sanguis intervescat, multumq; spiritum emitat, omnia gyrari videbuntur: idem continget, si crudi spiritus cerebrum petant, vel rejectamenta retenta exhalent vapores calidos, ac malignos qui in circulum agant spiritus animales, sic imaginatrix pervertitur, aguntur enim spiritus inclusi in orbem, sicut fumus in furno, hinc oritur morbus qui dicitur vertigo. Quodsi crassus & Melancholicus circa venas pectoris sanguis colligatur, unde crassi vapores erumpant ac diaphragma premant, pulmonemq; constringant, imaginatrix format sibi speciem se suffocantis; & morbus hic dicitur Incubus: qui vapores si in fauces se insinuent vox supprimitur, si cerebrum petant spectra occurfare videntur ac invadere. Si verò cerebrum nimium incalcescat vel ex se, vel ex humore mordaci vel Melancholico exusto, tum verò miser mortalis, ipso suum cor edens hominum vestigia vitat: tunc illa pervertitas imaginatricem incurrit, quæ Græcis mania dicitur, nobis, stultitia: tunc vitat colloquia, horret sermonem, in quædam deniq; ubi prorupit, velut torrens rupto fertur aggere: quodsi verò assata bilis flava invadat cerebrum, tunc omnia sunt hostis, furor, Eumenidesq; gubernant. sed si sanguinis halitus eaput, ascendant, tunc dulcis amentia phantasiam pervertit tunc sardonici risus, tunc cachinni, tunc miseranda jucunditas, & quia accensionem cerebri solent comitari vigilæ, quæ magis illud incendunt, tunc pedissequa accedit mania febris, tot sunt modi quibus miser mortalis de sua statione deturbatur: & imaginatio à suis itineribus inavia seducitur.

61. Somniorum varietas à diversis causis provenit.

Proveniunt à temperamento somnia subinde, hinc pituitosi somniant, diluvia, flumina, stagna. Melancholici barathra, antra. Senes facilius somniant de rebus concoloribus cibo aut potui, quem vespere sumperunt, quam Juvenes, quia sicciori illorum cerebro fortius imagines inhærent. Proveniunt somnia & ab intelligentiis, quæ ut docet S. Tho. i. pa. q. 111. ar. 3 localiter movendo species subinde formant imagines. Proveniunt & ab odoribus, hinc si fiat suffitus pro nocte lauru, plantis odoriferis, aut interyeniat usus atomatis, vel tabaci, sequen-

tur somnium turbidum, quia ista cum sint spiritosa commovent spiritus phantasmatum vectores, ac vagè imaginationi sistunt. Multa etiam somnia occasionaliter oriuntur: orta enim insensorio aliquo distemperie consimiles excitantur species. sic dum saliva in gustum non plenè sopitum ex cerebro defluit, datur occasio imaginationi representandi convivia: sic positus in metu pernatum, ad minimam v. g. pedis puncturam imaginabitur sibi illas subite: similiter sanguis crassior defectu concoctionis, dum nervos obstruit, imaginationi fingit oppressionem à Dæmone. vel ab hoste suffocationem, unde clamor perturbatus, timor & ut Poëta cecinit:

*Medijs conatibus agris
Succidimus, nec lingua valet nec corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox, aut verba sequuntur.*

62. Atra bile oppressi multa absurda sibi fingunt.

Melancholia petit cerebrum, & metum inducit: quia reddit spiritus crassos & frigidos siccos qui cot constringunt, obscuros, qui malæ afficiunt cerebrum. In hac solitudinem petunt, quia suis phantasmatibus intenti putant ea præsentiam aliorum obturbati. Tam absurda, ridenda, incredibilia imaginantur, quia quod sunt alij somniantes hoc illi vigilantes. Vnde Arist. de insomn. cap. 3. dixit. *Sicut in qua commota, aut nulla effigies redditur, qua appareat, aut redditur quidem, sed obscura, & tortuosa: quiescente autè, & stagnante aqua, brei naturæ imago apparet; ita dormientibus & delirantibus idè evenit.* Quòd verò non in omnibus sed tantum in certo genere delirent, inde fit quia circa certas imagines sunt intenti. Maniaci frigus etiam mediâ hyeme sustinent. Quia in illis ardent humores, idèdè sunt sævi, temerarij, truculenti.

63. Res novas admiramur, aliqui ridendo lacrymantur.

Quia ut ait S. Tho. 1. 2. q. 12. ar. 3. *Admiratio actus est voluntatis desiderantis scire causam novæ rei.* Ratio posterioris est, Lachrymæ ex Arist. 5. Problem. sunt serosa humiditas

humiditas venarum: lacrymantur ergo ridentes, quia vehementer in illorū oculis comprimuntur muscoli, & fit magnus procurfus spirituum, qui illam serositatem expellit: Eadem de causa ventus lachrymas oculis elicit. Bruta non flent. Quia non discurrunt circa objectum, nec advertunt ejus noxam: idedq; & homo quō magis considerat malum, magis plorat. Post lacrymas levior, videtur sibi, plorans. Quia cerebrum exoneratur à serositate: infans nascitur plorans, quia extra uterum afficitur molestiā: lacrymas tamen ejus, inter verum fletum, cū non discurrat, non reponat, Mercurial. lib. 1. de morbis puer: Soranus Ephes. c. 2. Isag. & alij. Lacrymæ sunt calidæ; quia dū proponitur objectum molestum, ratione cujus oritur dolor, vel alia passio propter quam spiritus confugiunt & sic calefaciunt serositates. Flentes suspirant: quia accensi spiritus fuliginem elevat, supra cor, & illud quasi suffocant: unde cor ut excutiat fuligines, vehementiùs attrahit aërem suspiria frangunt. Quia alliditur spiritus ad arteriam vocalem, & ad illam percucitur, dum cor non potest se omnibus simul fuliginibus exolvere.

64. Passiones excitantur in nobis à vaporibus.

Qualitates ortæ ex primatum certâ temperie in vapores resolvunt suum subjectum, scilicet humorum cui inhaerent: hi vapores miscentur prout exigit objectum phantasie propositum. Obiectum. v. g. ingratum, hoc modo iram movet. Vapores è felle consurgunt, vi phantasie elevati, & calidum siccumq; temperamentum acquirunt, qui subtilissimis motibus sed tumultuariis pungentibusq; agitati, totam hominem in passionem simillimam agunt. Si verò objectum amabile proponatur, vapores sanguinis ex hepate attolluntur calidi & humidi, & suavis temperatisq; motibus agitati, eodem modo afficiunt indirectè animum: unde oritur amor, lætitia, fiducia, gaudium. Si verò occurrat objectum triste, atræ bilis, vapores assurgunt frigidi & siccī, qui spiritus animales suâ qualitate, imbuunt, unde exoritur tristitia, mæror, commiseratio, planctus. Si objectum medium inter triste & lætum, vapores frigidum ac humidum temperamentum acquirunt, quibus spiritus imbuatur, & animus ad quietem & fiduciam componitur. Hæc spirituum

constitutio prodit se etiam in pulsibus arteriarum. Nam pulsus irati celer; in læto, moderatè magnus; in tristitia parvus; tardus, languidus, suffocatur enim calor ob spiritus & sanguinis constipationem. In lætitia immoderata pulsus debiles, ac formicantes, quia spiritus vehementer dissipantur.

65. Quibusdam naturaliter magis affici- mur quàm aliis.

Experimur nos statim ferri amore in quosdam vix conspectos, ad alios etiam post beneficia accepta, cogimus animum. Ajunt hoc quidam à fascino oculorum oriri. Sed ulteriùs res deducenda. scimus chordam sonare immotam, ubi altera pulsata fuerit ejusdem crassitie ac tensionis: ita evenit & in præfenti: eodem modo in uno ac in altero sanguis cum spiritibus agitatur, spiritus autem vehementiùs concitati per oculorum angulos evolant, & mutuo communicantur subjectis. Hinc facilius est amor inter eos qui sunt paris ætatis, paris temperamenti: vel si hoc absuerit, saltem proportio Musica, inter pulsus eorum intervenit, quam senex & puer sanguinei habent diapason; seu duplam: puer ad Juvenem in diapente: Juvenis ad senem in diatessaron: uti observavit Kircherus: & hæc proportio quò fuerit perfectior, magis animos conjungit, quæ si desit, animorum naturalis sequitur aversio: hinc male convenit cholericus & phlegmaticus, sanguineus & Melancholicus ut potè qui tono dissident. Cholericus cum cholericus habent amicitiam, sed illam facilè turbant: cum sanguineo diuturnius ager, quia una pars, alteram attemperat. Melancholicus erga sanguineum firmus est amor. Sed melancholici & sanguineus fugit consociatione Cholera impatientiam, Melancholia querelas habet.

66. Juvenes magis febribus obnoxii quàm senes

Quia plurimo calore acri & fulginoso laborant, in quo facile contingit excessus, maxime in calida & sicca temperie. Hinc etiam ex fatigatione magna febris, quia calor augetur: spiritus enim colliguntur in partes laborantes, & eas calefaciunt, & si calor priùs solvatur quàm reliquo corpori communicetur, oritur lassitudo: si diutiùs duret, cum tendinibus, arteriis atq; cordi communicatur, oritur febris. Eo modo etiam

ex ira aliqui in febres incidunt, spiritibus enim collectis calor augetur, tum accedit bulliens sanguis biliosus, ac bilis in suo folliculo effervescentia, quæ omnia febrem conjuncta inducunt. Mœror vero febrem inducit, quia spiritus intro ad unum locum aguntur. & si ex nimia condensatione suffocentur, mors sequitur: si vero non pereant, cor incendunt. Hinc etiam in febrem incidunt, qui diu in sole, vel ad ignem, vel in balneo versati, aut unguentis, nimium calidis uncti. Quia calor externus internum intendit & accendit.

67. Potentia loco motiva in musculis residet.

Definitur enim musculus communiter à Medicis. *Est voluntarij motus instrumentum.* Tendines quibusdam Musculis ad robur adduntur, sicut videmus in equis & bobus: quos illi ingentes habuerunt, de quibus S. Basil. hom. 24. *Polydamas in Olympijs currentes agitatoq; cursu injecta manu retinebat. Milo à scuto oleo peruncto & lubricato, nullo impulsu amoveri poterat: sed tanquam statua quadam plumbo agglutinata adharebat.* Hoc modo vero motum animal localem peragit spiritus è quarto cerebri ventriculo, cum vi irradiativa per nervos ad Musculum deveniunt, & se in eo potentia residentem conjungunt, & ab illa determinantur ut sint motorij: hæc vis, cum motrice potentia & anima impetum musculo imprimunt, eo modo quo Angelus sine manu imprimere solet.

De Anima Rationali.

68. Ratio seu virtus ratiocinativa non differt specie ab Intellectu.

Est S. Th. 1. p. q. 79. Quia intelligere, est apprehendere veritatem, ratiocinari, est ex notioribus ad ignotiora procedere, quod in Angelis qui uno actu veritatem perfectè apprehendunt, non invenitur: sic ergo hominibus ratiocinatio est via ad intellectum, & habet se sicut motus ad quietem, quæ ad eandem potentiam spectant. idè Boët; comparat rationem temporali quod movetur, intellectionem aternitati, quæ est immota.

69. Non afferuit Aristoteles mortalitatem animæ.

ERipiamus & hunc clypeum Atheis quem suæ impietati præ-tendunt, Fateor suâ sibi nocuit obscuritate Aristoteles, uti Allegoriâ Trithemius, ut malè à malis trahatur. Idcirco eum sepiam veteres dicebant, quæ se suo atramento occuleret. Urbanus VIII, nondum Pontifex, iussit Bononiæ per Oregium & alios in Aristotelem totum inquiri, sed eorum calculo absolutus. Nam lib. 2. de Anima c. 2. Est aliud anima genus, & hoc solum posse separari, sicut perpetuum à corruptibili: imò pro immortalitate animæ ejus verbis argumentum contexo lib. 1. cap. 1. de Anima. Si est aliqua operatio anima propria, continget utiq; eam separari: & lib. 2. de gen. anim. c. 3. Restat igitur solam mentem (animam rationalem) extrinsecus advenire eamq; divinam esse, nihil enim cum ejus operatione communicat operatio corporalis Exageratur impietas Atheistica testimonio Apollinis Mylecij apud Lactant. lib. 7. insit. c. 9.

*Anima quidem quò ad vinculis corporis tenetur,
Corruptibiles passiones sentiens, mortalibus cedit doloribus:
Cum verò humanam solutionem velocissimam
Post corruptum corpus invenerit, omnis in athera fertur,
Nunquam senescens, & manet in æternum.*

70. Anima rationalis etiam quatenus rationalis, est Forma.

Averroes impius ex Christiano Judæus, ex Judæo Macho^s metanus, docuit homines esse mere bruta, ac Mortales habere animas, scilicet sensitivam ac vegetativam, rationalem verò assistere solummodò, sed solus docuit, neq; ullus alius alicujus nominis Philosophus, ut Doctor subtilis inquit in 4. d. 43. q. 2. Refutavit abundè S. Thom. lib. 2. adversus gentes, & Clemens V. in Cœcilio Viennæ habito contra Petrum Joannis Averroistam anno 1311. damnavit, sequitur enim ex hoc nullum esse meritum, aut demeritum in homine, cessat virtus & peccatum. Negatur totale fundamentum fidei, & ipsa fides subruitur, quâ jubemur credere vitam æternam, & alia multa quæ enumerat Guido Carmel. c. 2. sed ratione aggredior. Ille assistens so-
lidum

lata
nes
vis

7
S

gi
brun
cum
enim
brach
ille,
defect
ira,
pars r
voler,
dua
non
simp
solub

72

Q

fit hoc
propor
inferio
quod
gaur.
Th. 1
portari
brui an
vifitua

73

lūm est spiritus. Ergo homo non intelligit, non vult &c. actio-
nes enim sunt suppositorum: imò nec rationalis, neq; enim ra-
tis rationalis est, ex eo quod illam nauta rationalis regat.

71. Anima rationalis est indivisibilis.

SToici & Epicurei animam scabant in partes. Fides & ratio
oppositum docet. Arist. lib. 1. c. 3. de anima sine partibus, seu
ἐμψυχοῦ Hic profertur. S. Aug. serm. 186. de temp. c. 4. *contingit ut in corpore humano, imò de corpore aliquid praeclidatur mem-
brum, manus, digitus, pes. Nunquid praeclisum sequitur anima:
cum in corpore esset, vivebat: praeclisum amittit vitam. Dividatur
enim si dividi potest, & pars v. g. homini impio amputetur cum
brachio, debet meritum dare poenas in orco; convertatur homo
ille, & veniam scelerum obtineat, residuum animae ad caelum
deferret, itaq; hæc anima & beata & infelix, & filia Dei & filia
ira, simul erit. Vel certe ut ad fidei mysteria non recurratur;
pars resecta, vel poterit aliquid operari, vel non: si poterit, tum
volet, intelliget, & quid tandem deest ad integritatem. Ergo
dux erunt anima: si nihil operabitur. Ergo gratis erit, atq; ad e-
non erit. Quocirca optimè Tertul. lib. de anima cap. 14. *Anima
simplex est, & de suo tota non magis structilis aliunde, quàm dis-
solubilis ex se, quia si structilis & dissolubilis.**

72. Voluntas non nisi motâ imaginatione mover appetitum inferiorem.

QVia in distans non loci quidem, sed processus ageret, omis-
sâ viâ mediâ, quæ est imaginatio Dux appetitūs. Hinc
etiam quando fictis lacrymis quis alterius mortem deplorat,
fit hoc mediâ imaginatione. Nam voluntas per intellectum,
proponit imaginationi objectum triste, imaginationem sequitur
inferior appetitus. Mitigatur deinde per lacrymas dolor, quia
quod nocivum ad exteriora effunditur, & animæ intentio digre-
gatur. Mitigatur per amicorum compassionem, quia ut ait S.
Th. 1. 2. q. 38. *dolens imaginatur quasi partem sui oneris ab alijs de-
portari & sic ipsi sic levius. Vel potius. quia videt se à condolen-
tibus amari: amari autem est delectabile, & sic delectatio minuit
tristitiam.*

73. Memoria intellectiva non distingui- tur realiter ab intellectu.

As. Thoma id accepit testimonium i. p. q. 79. ar. 7. memoria enim, vel sumitur pro vi conservativa specierum, vel pro vi recognoscitiva objecti, utroq; autem modo sumpta, est idem cum intellectu. Nam ut conservativa specierum, ex mente Philosophi, est ipse intellectus, qui dicit, quòd locus formatù, id est specierum sit ipse intellectus: & aliunde, eadem potentia quæ est receptiva formæ, est etiam retentiva ejusdem. Meminisse etiam præteriti nihil est quàm cognoscere præteritum: ideoq; & memoria cognoscitiva nihil est realiter aliud ab intellectu. Neq; tamen eò minus facta est ad imaginem Dei. Anima. Nam si ejus substantia consideretur, vetè est imago Dei unius, nam convenit, cum illo in gradu intellectivo, est incorporea, indivisibilis, æterna, ubicunq; est tota in toto existit, & in singulis partibus tota: capax visionis & amoris Dei, quæ omnia inveniuntur in Deo uno, ut exemplati prototypo. *Anima inquit S. Augu: epist 28, per totum corpus, quod animat, non locali diffusione tota simul adest, nec minor in minoribus, nec in majoribus major: sed alicubi intensius, alicubi remissius, S in omnibus tota, & in singulis tota.* & sicut Deus omnia ex nihilo creavit. ita inquit Richar. viet. lib. 4. c. 20. *Si miraris quomodo ille omnium Opifex Deus, tot S iam varias species rerum, prout voluit, in ipso mundi exordio, ex nihilo in actum produxit, cogita quàm sit humane anima facile, omni horâ qualibet rerum figurar, per imaginationem (id est primam apprehensionem) fingere, S quasdam sui generis Creaturas, quoties voluerit sine præjacenti materia, S velut ex nihilo formare: S incipiet minus esse mirabile, quòd fortè priùs videbatur in credibile. si verò consideretur secundum processiones actuum suorum, sic est imago Dei ut trini. Nam sicut in Deo Trinitas personarum consurgit, per processionem intellectus S voluntatis, ita & in anima per quandam participationem illarum processionum conlurgit imago Trinitatis. Quatenus nimirum intelligendo producit verbum, & diligendo amorem, sicut Pater æternus, per intelligentiam suam, generat verbum quod est Filius, & Pater ac Filius per dilectionem quâ se diligunt, producant amorem subsistentem, qui est Spiritus S. & ita in anima non est spectanda ratio Trinitatis ex tribus potentiis, etiamsi illæ distinguerentur realiter, quia in Deo tres potentiæ, memoria, intellectus & voluntas, non constituent Trinitatem, sed sunt Trinitati communes: sed juxta processiones intellectus & voluntatis. Iam claudamus has conclusiones Philosophicas, verbis Philosophi Christiani Aenæ Gazæi in dial. Theophr.*

Que-

Quoniam isthuc venimus sacrificium gratiarū
actionis Deo offeramus, non Hecatombē, ut apud
Athenienses, nec formicam ut in isthmo soli, &
Neptuno, sed perpurgatā mente, quò Deo simi-
les evadamus.

PARADOXA.

Prius ex homine aliquid aliud fit, quàm moriatur. 2. Quī
contradictoria loquitur, veritatem dicit. 3. Nemo noctem
vidit, neq; in veste foramen. 4. Et potest, & non potest
infinitum claudi terminis. 5. Fieri non potest sine miraculo, ut
caseus Hollandicus scateat vermiculis. 6. Aqua naturaliter sur-
sum ascendere, & ignis descendere potest. 7. Orando Deum ne-
mo potest distrahi. 8. Non est humilis qui omnem honorem fugit.
9. Quæ sunt viciniora soli magis frigent. 10. Foramen in
veste probabile est quod sit Ens respectivum.

PARERGA.

Potest fieri, ut libra plumbi æquiperderet toti terræ: 2. Po-
test audiri sonus campanæ ingentis, quæ nunquam exiit.
3. Possumus accendere nives igne, & glacie utere imò & aquā
4. Possumus quovis momento iridem exstruere. 5. Potest quis
suum occiput videre. 6. Possumus ex uno milite integram aciem
efformare. 7. Fontes abditi sub terra bilance inquiri possunt.
8. Potest deprehendi, quanta cuiusq; rei rarefactio possit esse. 9.
Potest eodem clavo ocludi foramen triangulare & quadratum &
rotundum. 10. Potest ex quavis arbore in sylvis cognosci etiam
noctu, quam partem versus sit meridies aut septentrio.

Ex OPTICA.

Prop. ima. Quò aliquis altior est, plus de terra videt, sed tamen
ei minora omnia terrena apparent: e contra verò omnia caelestia ma-
jora altioribus, minora de pressioribus. Ratio partis prioris est,
Quia oculus tantum videt de globo, quantum intercipiunt linee
tangentes ductæ à puncto oculi ad globum: sed terra est globus:
Ergo. Hoc posito subsumo, sed è remotiore à terra oculo ductæ
tangentes majorem portionem globi abscindunt, Ergo ductæ ex
oculo altiore majorem terræ partem abscident, ac proinde major
pars videbitur. Pro altera parte est Axioma opticum. *Qua vi-
dentur*

dentur sub angula minori, *minora apparent.* Sed ductæ lineæ ex oculo altiore ad eadem objecta licet intra majorem portionem terræ contenta minorem angulū faciunt, quàm facerent, si ex oculo demissiore ducerentur. Ergo minora altiori homini omnia terrena apparent. E contra verò ob idem argumentum, cœlestia magnis personis majora; minoribus minora videntur.

Prop. 2da. *Statua in alto posita, ut capite non magis à nobis distare videantur, debent esse versus nos inclinata.* Distantias objectorum cognoscimus ex axium opticorum concursu communi, sic enim oculus unus alterius axem quoad longitudinem determinat. Cum igitur axis utriusq; oculi concurrat semper in eodem puncto objecti visi, axis opticus sua sectione determinabit alterius axis optici longitudinem, quæ longitudo si major sit, magis objectum distare videbitur. Hoc ergo in statuis alto impositis contingit, longior est determinatio axis dum caput aspiciamus, quia longiores radij à capite ad oculum nostrum ducti, quàm à pedibus, ob hoc ergo, ut statuam rectissimè collocatam judicemus. Prudentes Architecti parte quodècunq; superiores ad nos partes statuarum inclinant.

Prop. 3ia Non vitio oculorum accidit quod quædam parva videantur, si enim duæ rectæ lineæ sese mutuo secuerint, angulos ad verticem æquales inter se efficiunt: juxta 1. Elem. 15. radij verò visorii sunt rectæ, & se mutuo in ingressu secant, itaq; intra oculum æqualem ei sub quo res affertur constituunt visorium angulum.

Ænigmatum Ethicorum Solutiones.

Quodnam animal manibus solis ambulat, nec utitur pedibus? Virtus operibus nititur non pedibus.

Quænam Virgo suas manus comedit, & iisdem alitur, neq; tamen manca est? Virtus.

Quæ res ita magna, ut non habeat majorem, ita parva ut non minorem? Fortuna.

Quæ bestia venenatissima? Malum exemplum!

Cujus nunquam funus sine successore? Gaudium, cui superstes dolor.

Quis tpreto præstantiore alimento amarius gustat? Medicus morbos quærit,

Quod

Quod dimidium sapientiæ? Media pars sapientiæ interrogare, Responsum dare pars altera.

Quæ figura sapientiæ? Tetragona; quâ jactatur, jacet fixa.

Quæ figura amoris? Circulus. Ab uno amor procedit, ad unum redit.

Quæ est Quadratura circuli? Amor circulus, sapientia quadrata, amor itaq; sapientis quadratus.

Qui supremus & medius? Sapiens supra homines, virtus ejus in medio.

Cujus puncti umbra est linea infinita? Sapientis minimus error infinitè obscurat.

Quod instrumentum mensurandæ mentis? Actio.

Quod pondus cujus dimidium gravius toto? Mediocritas fortuna.

An sic debitum, quod non licet creditori exigere nec queri de debitore iniquo? Honor.

Quid similius Justitiæ? Injustitia. nam & hæc balancem habet.

An finis distinguitur semper à medio? Non. Finis rectæ gubernationis facere bonos idem est medium.

Quod regimen bonum? Obedientia. Nescit imperare cui non obeditur.

Quis amat hoc quod odit? Iracundus & ulter. Nam damnat injuriam & illam appetit.

Quot sunt unum & quatuor? Duo. Amici sunt duo, nam amor illos unit, sic sunt unum; rursus quilibet est in altero & sic sunt quatuor, & simul unum.

Quando somniat vigilans? Cum stultus sperat.

Quæ symphonia gratissima? Lingvæ & manus consonantia.

Quis omnibus lingvis loquitur? Qui Operibus.

Quod animal cor habet in manu? Sapiens.

Quis civis melior? Civis sui, nam est etiam Concivis Dei.

Quæ homini pernicietas maxima? Ipse sibi.

Quid fortissimum? Amor qui & animos vincit.

Quid justissimum? Mors, quæ non acceptat personas.


Quis medicus optimus? Mors omnia sanat vulnera.

Quis Narcissus formosissimus? Qui seipsum contemplantur vidit.

Quis

Quis maximè egenus? Qui nulla re scit uti.
Quis individùè dividit? Caritas, nam amicorum omnia
communìa facit.
Quod est veracissimum speculum? Inimicus apertus qui nulla
vitia silet inimicis
Quis optimus Dominus? Qui succedit pessimo.
Quis importunissimus exactor? Venter.
Quis non cognoscitur nisi absit? Sanitas.
Quod injuriarum optimum remedium? Oblivio.

August. lib. 1. de Trin. Quisq; ergo
hoc audit vel legit, ubi pariter certus est,
pergat mecum, ubi pariter hæsitat quærat
mecum, ubi errorem suum cognoscit, re-
deat ad me, ubi mecum, revolet me, Ita
ingrediamur simul charitatis viam, tenden-
tes ad eum, de quo scriptum est. Quærite
faciem ejus semper.




C
Ex
C
svadent
melius
melius
eui est
avie q
Moy
fuisse
actium
vum:
malle
ubi; c
bloma
munda
st. In
lenior
sea fuit

V
h

ad
ex ti
anta
hinet
m
epi
ti caa

es atq
inulor

K



Biblioteka Jagiellońska



str0030506

